EPITOME

HISTORIÆ

Societatis Jesu.

II.

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/epitomehistorie0000jose

EPITOME

HISTORIÆ

SOCIETATIS JESU,

AUCTORE

JOSEPHO JUVENCIO,

EJUSDEM SOCIETATIS SACERDOTE.

Tomus Secundus

Ab anno Christi MDLVII ad annum MDLXXXI.

FATHER KELLER LIBRARY
ST. JOSEPH'S CHURCH
SAN JOSE, CAL.
ALMA COLLEGE
LIBRARY
Alma, California

GANDAVI,
E prelo Vid. J. Poelman-De Pape, typog. Episcopatus.
1853.

ALMA COLLEGE
060.9
LIBRARY
J988
Alma, California

6914

EPITOMES HISTORIÆ
SOCIETATIS JESU

Liber Secundus.

Ab anno Christi 1557 : Societatis 18.
Ad ann. Christi 1581 : Societatis 42.

Annus Christi 1557 : Societatis 18.

Differtur Congregatio.

Indicta fuerat Congregatio Generalis ad subrogandum S. Ignatio successorem, in extremos ejusdem, quo B. Pater obierat, anni menses. Quominus tam cito Patres convenire possent quam erat constitutum, fecit temporum difficultas, et coorta dissensio, inter Paulum IV et Philippum Regem Hispaniæ. Itaque dilata Congregatio est in vernum usque tempus anni MDLVII. Ecce autem edictum Philippi regis promulgatur, ne quis in alienas terras ex Hispania proficiscatur : item ut Hispani Roma discedant. Hinc Patribus, quorum aliqui jam Romam advenerant, ingens oborta sollicitudo, consisterent ne Romæ; an conventum in pacatiora tempora differrent? Erant, qui petendum

censerent a Pontifice, ut extra Urbem illum haberi pateretur. Perstitit in sententia Pontifex, ut Romæ haberetur; cumque per Catholicum regem Hispanis Patribus in Urbem accedendi copia non fieret; satius duxit, ut rejiceretur in sequentem annum Congregatio, et iis, qui Romam convenerant, potestatem in suas provincias redeundi fecit.

Turbatio domestica,

Erat inter Patres, qui venerant in Urbem, Nicolaus Bobadilla, unus e decem primis Ignatii sociis, vir acer et sane laboriosus; at regularum vinculis velut constringi charitatem dubitans, moleste ferebat tot conditas ad constituendam Societatem leges; atque hanc præcipue, qua illius administratio ac summa potestas, uni defertur. Æquius multo et convenientius aiebat videri, si ab ejus Patribus primis et Professis regeretur : nec vero sine injuria posse ab eadem quasi educanda et administranda removeri, qui ejus procreandæ auctores exstiterant. Ea cum domi spargeret, aliquot e Sociis in suam sententiam perduxit, qui collatis cum eo capitibus et consiliis, procudere libellos cœperunt, ac sinistris rumoribus non solum nostrorum, sed externorum etiam aures et animos impellere. Lainius implorato precibus et sacrificiis, ut in re tanti momenti, Deo : primum externos dedocere est aggressus; deinde ipsos domesticæ hujus perturbationis auctores, ac præsertim Bobadillam egregie per sese, ac per P. Hieronymum Natalem confutavit; postremo ipsum

Pontificem adiit, eique rem totam, uti erat, exposuit. Pontifex negotii cognitionem demandavit Cardinali Alexandrino, qui Professorum domum, quasi aliud agens ingressus, et cavens ne dissidium hoc domesticum foras emanaret, singulos prudenter interrogavit; cognitaque veritate, Bobadillam sibi jam diffidere incipientem, conterruit. Quo tempore peropportune accidit, ut Guido Ascanius Sfortia, Cardinalis S. Floræ, ageret de eo mittendo in Umbriam ad quorumdam monasteriorum negotia domestica componenda. Id a Pontifice facile impetratum ut, illo amoto, excitatæ per eum turbæ facilius sedarentur. Itaque brevi discessit Fulginium, ubi habendis ad populum concionibus, quæstionibus conscientiæ explicandis, eam sibi doctrinæ famam auctoritatemque conciliavit, ut omnes dicto audientes haberet, clerumque juxta et populum e sententia regeret.

a Pontifice composita.

Familiare perturbatoribus religiosorum Ordinum est, ut accusent Instituti sui leges, ne videantur inique facere, dum eas everterc, aut immutare student. Hoc ab istis, qui Bobadillæ favebant, omissum non fuerat. Lainius, jubente Paulo IV diplomata Pontificum, constitutiones et regulas Societatis, demum quidquid pertineret ad ejus regimen ac disciplinam, olim, nuperve conditum, delectis Cardinalibus excutiendum examinandumque tradidit. Gravis incessit Patres metus, ne Societatis forma at disciplina, tanto studio, tot annos,

ab S. Ignatio constituta, immutaretur. Sed in eo quoque periculo, ut in aliis plerisque, singularis Dei benignitas, ac providentia erga Societatem eluxit, Cardinales, omnibus expensis, Constitutiones, nulla re improbata vel mutata, intactas illibatasque reddiderunt.

Dum istæ privatæ turbæ componuntur, delecti e Provinciis Patres paulatim in Italiam concurrebant, liberiorem e Gallia præsertim et Hispania transitum nacti. Adesse cum illis Borgia licet exspectatissimus non potuit. Multa, ne Romam proficisceretur obstiterunt. Bellum inter Catholicum regem et Pontificem nondum penitus oppressum; deinde ægra valetudo; tum metus Romanæ purpuræ, quam Paulus IV licet reluctanti haud dubie imposuisset; nec non metus summæ Societatis præfecturæ, quam ipsi Congregatio Generalis delatura videbatur; postremo negotia momenti gravioris jam inchoata, necdum ad exitum perducta.

Borgia apud Carolum V, Societatem defendit.

Sed nihil magis tanti viri præsentiam in Hispania requirebat, quam solito ferociores adversariorum contra religionem et Societatem impetus. Carolus V in Hispaniam reversus, curisque Imperii solutus, quod Ferdinando fratri tradiderat, obstupuit vehementer acceptis, quibus quotidie obtundebatur, sinistris sermonibus de Societate, cujus cognoscendæ facultatem antea vix ullam habuerat, inter assiduos tot bellorum tumultus. Videre Borgiam expetiit, cujus exploratam habebat

virtutem et sapientiam, sive ut ex eo verum audiret: sive potius, ut eum Societati remittere nuncium cogeret, aliumque religiosum Ordinem, aut honoris Ecclesiastici gradum aliquem amplecti: Hoc enim Borgiæ disertis verbis Joanna Caroli filia significaverat. Duos, (ita enim illa scribebat) tibi proponet Ordines, quorum alterutrum eligas, S. Hieronymi, et Carthusianum. Quid ei responsurus sis, vide; ceterum quod scribo tibi, non est haustum e fama et rumoribus vulgi: ex ipsomet audivi Carolo.

Quid responderet, Borgia non ambigebat. Ut in cœnobium S. Justi venit, quo se Carolus receperat, continuo in sermonem de Societate inductus a Carolo, audivit ex illo, quæ in eam probra et scelera jactabantur. Tum vero Franciscus, vera se dicturum professus, et Divinum sancte testatus numen totam Societatis quasi œconomiam explicuit. Quis propositus ipsi finis, quas insisteret vias ad eum consequendum. Quis orandi, quis vivendi, quis agendi cum proximis modus. Quid de illa summi sentirent viri; quid Pontifices Romani, quid universa in Concilio œcumenico Ecclesia pronunciasset. Addidit multa reconditiora et peculiaria, quorum ipse testis quotidianus, et pars etiam erat. Me vero, inquit, non præceps et inconsideratus pietatis ardor ad hoc vitæ genus impulit. Nondum credo excidit tibi, Cæsar, quid ea de re locutus olim tecum fuerim? Memor sum, ait Carolus; en

ambo belle stetimus promissis; sed quid animi, quæso, tibi fuit, ut hunc novum Ordinem falsa, ut quidem spero, sed tamen adeo sinistra laborantem fama, tot antiquis, ac per tot sæcula probatis, præferendum putaveris? De sinistra fama, inquit Franciscus, si falsam esse concedis, ut esse falsam certo scio, nihil est valde laborandum. Hæc dos virtutis, hic stimulus, atque adeo præmium quoddam censeri debet. Ad novitatem quod attinet, vitii nihil est in novitate, imo non parum laudis; quippe novum institutum, ut flos recens odorem pietatis et succum integrum servat, qui sensim exolescit ipsa die, ac vetustate marcescit. Antiqui Ordines religiosi, fuerunt iidem novi, nec deteriores fortasse tunc erant, quam sunt modo, licet vetustissimi. Ad extremum Majestati tuæ, Cæsar, quanta possum maxima et sanctissima fide confirmo, me nunquam daturum fuisse Societati nomen, si quid in ea cognovissem abhorrens a vera virtute : ac ne permansurum quidem in illa vel unum diem, si quid ejusmodi deprehenderem. Credo equidem, retulit Cæsar; novi probitatem tuam. Perrexit Borgia refellere singillatim calumnias et commenta obtrectatorum, idque tam liquido, ut exclamans Carolus in eas ipsas eruperit voces, frontem dextra feriens : itane mihi fucum ab istis factum esse! Mox conversus ad Borgiam ore placido : vera, inquit, a te dici sentio, lætorque. Suspectam mihi Societatem calumnia fecerat;

cariorem deinceps ejus perspecta virtus, et sapiens disciplina reddet: neque ullum prætermittam locum ejus tutandæ et ornandæ, cum tua, quem plurimi semper feci, causa; tum quia sic officii lex et æquitatis jubet. Gratias ingentes egit Borgia, et arcanis de rebus interroganti Principi respondit. Ejus responsa Cæsar describi voluit, ac filio servanda dedisse fertur, tamquam eximia documenta prudentiæ. Quænam illa porro fuerint explicare, non est hujus loci.

Statim atque percrebruit, quemadmodum acceptus a Carolo V Borgia fuisset, quam familiariter et benevole auditus, concidit adversariorum impetus; calumnia obticuit. Tantus adhuc in mentibus et fama Carolus etiam pene jacens et solus, erat! Nec nihil ad sedandam hanc tempestatem adjuvit Joannes Vega, ejusdem Caroli favore præcipuo, et beneficiis ornatus.

His præsidiis et aliis, quæ per idem tempus divina benignitas obtulit, freti Patres, fidentius in Hispania causam religionis egerunt. Lutheranus concionator Hispali ab iis accusatus et pœnam timens, crimen hæreseos in accusatores regerere tentaverat. Accusationem retudit Ferdinandus Valdes, Archiepiscopus Hispalensis, idemque summus Inquisitionis sacræ Præses, et publicis litteris integritatem Patrum in moribus doctrinaque, testatam populo voluit. Qui palam nocere nequiverat, grassatus est per insidias, Patrum introspicere

Disturbatæ insidiæ.

mores decrevit. Submissi ab eo exploratores, omnibus accurate observatis, retulerunt, deprehensos a se homines alienæ salutis percupidos, orationi deditos, raro cum feminis et modeste colloqui solitos. Interfatus ille. Parcite, inquit, plura; si dediti sunt orationi, et a mulieribus cavent, viros esse probos ne dubitate. Placuit ipsi nihilominus illos propius intueri, et per sese cognoscere. In ipsam recipi Societatem, quasi mutata in melius mente, postulavit. Festinandum Patres non putarunt. Dum cunctantur sapienter, detracta est histrioni scelerato larva; conscii ejus criminum participesque ultro se prodiderunt; abreptus in vincula veterator merito affectus est supplicio.

Et hic quidem Hispali pœnas, ut hæretico dignum erat, dedit; at Granatæ, a catholicis quibusdam molestia non levis in Societatem et infamia est orta, dum jactant a nobis arcanum Sacræ confessionis violari. Calumniæ origo hæc fuit : confitentem de peccatis feminam Granatensem audiebat Sacerdos e nostris. Subiit animum dubitatio, num jus fasque esset, illam absolvere, nisi socium delicti cujuspiam gravioris ederet. Consultus Archiepiscopus, vir eximia probitate ac sapientia, negavit absolvi aliter posse : indicatus est criminis particeps, qui doloris impotens, accusavit palam Societatem, quod sacras confessiones evulgandas doceret. Exarsit offensio populi gravissima. Concionator noster, quid super ea re Theologi trade-

rent, oratione meditata, et cum viris doctissimis communicata, palam explicuit; probantibus, qui aderant audiebantque, sacris Quæsitoribus: sed quæ ad restinguendum incendium comparata erat concio, illud vehementius inflammavit, continuo tres in suggestum progressi concionatores clamant prodi mysteriorum fidem, avocari populum a salutaribus remediis, novum impiumque dogma proferri. Archiepiscopus, vocatis omnibus religiosorum Ordinum Præsidibus, ubi vidit suam ac Societatis doctrinam ab iis approbari, nec non a peritissimis vicinarum urbium Doctoribus, quos per litteras consuluerat; ipsemet populum pro concione allocutus, quid sentiendum esset, pronunciavit, et silentium ea de re cunctis in posterum indixit. Magis tamen obducta fuit cicatrix, quam persanata plaga. Consecutis enim temporibus rescissa est, et Societas iterum vulnerata in templis atque gymnasiis: negabatque Borgia, fœdiorem unquam in nos excitatam esse tempestatem. Solatii non parum nobis attulit sacræ Inquisitionis, in hac Granatensi vexatione, ut antea in Hispalensi testificatio publica et perhonorifica de doctrina Societatis.

Ejus famam et existimationem auxit novum et illustre Caroli V de illa judicium, qui mortem imminentem veluti præsagiens, Borgiam iterum arcessivit, cujus ductu et consiliis iter illud supremum, regibus æque ac plebi pavendum, securior

Carolus V Borgiam curatorem Testamenti designat.

iniret. Opem egregio Principi Franciscus tulit, quæcumque a sancto sacerdote ac fideli servo præstari poterat, eique heroïcos illos afflavit sensus Christianæ pietatis, quos ipsa in morte, paulo post consecuta, præ se tulit. Mortuum idem Borgia laudavit, ducto ad his Prophetæ verbis dicendi argumento : *Ecce elongavi fugiens : et mansi in solitudine* *. Neque vero jejunos eloquentiæ profanæ flores congessit in ejus tumulum, sed verarum fructus virtutum, vivorum documenta non minus, quam ornamenta mortuorum. Eumdem Borgiam Carolus V moriens inter curatores testamenti sui exequendi scripserat. Pugnavit summopere vir sanctus, ut onus illud quamvis perhonorificum, suæ tamen vitæ instituto, ut rebatur, non ita consentaneum, abjiceret.

* *Ps.* 54. 8.

In Colloquio Wormatiensi etc. defenditur Religio.

Inter præclara Caroli V facinora nullum videbatur gloriosius, quam quod Protestantium conatus impios coercuisset : hoc tamen incendium ita restinxerat, ut e favillis et cineribus nondum penitus oppressis existerent identidem ignes perniciosi, a quibus periculum religioni ac publicæ tranquillitati certissimum creabatur. Eam ob rem varii sunt habiti conventus ac deliberationes, Wormatiæ, Augustæ Vindelicorum, Æniponte, aliisque in locis. Ejusmodi conventus cupidissime proponebant ac sectabantur veritatis hostes, non pacis ac religionis studio, licet speciosum hoc nomen præ se ferrent; sed timore atque odio

Concilii œcumenici, ad quod accedere, sæpius invitati, recusabant : ac merito timebatur, ne in istis cœtibus aliquid contra jus fasque molirentur. Id metuens Summus Pontifex, Societatis Theologos iis interesse voluit. Initium colloquio Wormatiensi factum pridie Idus Septembr. anni MDLVII. Convenerant adversariorum celeberrimi Melanchthon, Pistorius, Brentius et alii complures. Ex omni numero duodeni sunt electi, qui colloquerentur : illis oppositi totidem catholici Doctores. Primo congressu quæsitum est de forma instituendi colloquii, deque norma communi, ad quam controversæ res exigerentur. Lutherani veterem occinentes cantilenam, omnia deducenda contendebant e Verbo Dei puro putoque. Catholici postulabant, si qua de Verbo Dei controversia oriretur, ut ea ex Patrum et veteris Ecclesiæ consensu judicaretur. Sed quis id ab hæreticis concedendum speraret, quo semel concesso, ruunt? Itaque Socii, summo Doctorum catholicorum assensu, aliam viam ostenderunt quæ successit. Colloquendi ac disputandi facultas data dumtaxat illis fuerat, qui confessionem Augustanam sequerentur, id est, summam doctrinæ Lutheranæ ab ipsomet Luthero editam anno MDXXX et in comitiis Augustanis tum propositam. Postulatum est, ut de illis tantum ageretur capitibus, quæ in ista confessione continerentur, utque aliæ opiniones et sectæ rejicerentur. Hoc plane pomum discordiæ fuit, quod inter

Protestantes conjectum; illos inter sese pugnantibus sententiis collisit; dum pars una standum prorsus Augustana Confessione censet; altera dissidentes ab ea opiniones defendit, seque a reliquis segregat. Relicti septem Augustanæ Confessionis tenaces, e duodecim qui convenerant, cum se catholicis numero et opinionum consensione validioribus impares cernerent, colloquium abruptum est; magna sanioris doctrinæ commendatione, cujus ut una veritas, ita vox et mens una semper est : nec nulla Canisii gloria, de quo id constabat inter omnes, neminem in eo congressu plura scripsisse, recitasse, opposuisse. Ulti sunt adversarii dolorem suum fingendis de Canisio fabulis, fabricandis calumniis, quæ tela retudit ferendo et spernendo : imo de illis quam potuit optime merendo, Argentorati, Selestadii, Colmariæ, Brisaci, Friburgi Brisigaviæ, et in aliis Alsatiæ superioris urbibus, quas *pertransiit benefaciendo* et ubique tristia religionis vulnera *sanando*.

Quæ lux Germanos sponte cœcutientes, ac *rebelles lumini*, magis excæcabat, eadem Japones illustrabat. Et observatum vulgo, nec temere fuit, difficilius adduci ad Christum, qui semel ab eo recesserint, quam eos, qui nunquam ad eum accesserint. Firandus, insula Japoniæ, tuto facilique utitur portu, quem proinde frequens institor celebrare gaudet. Turrianus a Firandi Rege invitatus, cum ire ipse non posset, misit

Faustæ res in Firando.

P. Balth. Gagum et Joan. Fernandium, ac paulo post P. Villelam. Christiana statim suscepit sacra propinquus Regis, proximum ab ipso Rege locum obtinens, atque insularum Tacuximæ et Iquiceuquiæ dominus. Antonio nomen illi factum. Mille ac trecenti postea ethnici duobus mensibus ad Ecclesiam aggregati: tria fana, dejectis simulacris, cultui veri numinis sunt addicta. Invidit Satanas, et præpotente Bonzio administro usus, afflixit comminuitque prælaltam crucem; non tamen impune: nam præter cætera prodigia, quæ ultoris Dei non inanem metum sceleratis incusserunt; e tribus, qui Cruci evertendæ sacrilegas manus admoverant, duo postridie cohorta rixa, eodem ubi steterat crux loco, mutuis confossi vulneribus jacuere: tertius numquam deinde apparuit. At Christiani eversam dolentes Crucem concurrunt facto agmine ad Bonziorum cœnobium: faces tectis injiciunt, avulsa templo idola partim cremant, partim in flumen præcipitant. Accensi furore Bonzii Regem vociferantes adeunt, et nisi pœnas a Christianis eorumque Sacerdotibus expetat, minantur exitium. Patres, ne Rex ac tota civitas in discrimen veniret, furentibus cessere. Vix urbe pedem extulerant; impetum scelerati faciunt in sacras ædes, exurunt cruces, altaria deturbant, lacerant imagines, nihil non moliuntur, ut Christianis fidem ipsam ac religionem eripiant. Nulli constantia defuit: imo parta uni feminæ corona martyrii, quæ

Bonziorum furor;

Primum martyrium in Japonia, etc.

divitis ethnici famula, venerari solebat crucem in colle positam non procul ab urbis moenibus. Vetuit herus, ne faceret. Pergentem nihilo secius, ac domo prodeuntem, stricto acinace insequitur, et in ipso crucis amplexu contrucidat.

Egressos Firando Patres, et Facatam delatos, bellum aliud ac tumultus excepit. Chicungi Rex Morindonus, haud ita pridem regno exutus a rege Bungi, perniciem illi machinabatur. Concitatis clam in ejus urbe Facata seditiosis, conscribit exercitum, et ad mœnia improvisus adest. Facatæ gubernator, inimicam vim egregie sustentabat, cum Bonzii adversus Christianos et Bungi regem, ipsorum propugnatorem ac patronum, conjurati, portam noctu recludunt infanda proditione. Hostis admissus, gubernatorem cum præsidiariis cohortibus mactat, urbemque ferro et igni delet. Socii, domo incensa, everso templo, per tenebras ad portum elapsi, conjiciunt se in navim : at orta die magistrum navis Bonziorum ac perduellium favere partibus deprehendunt. Ab eo statim spoliati fuere, consultatumque inter nautas, utrum dederentur neci an spe majoris alicujus lucri, servarentur in vinculis. Quatriduo inter hos timores, in fame frigore et nuditate transacto, perduellium dux, de Patribus admonitus, vinctos in urbem a militibus trahi jubet. Nihil propius factum est, quam ut impiorum rabiem suo cruore satiarent. Quisquis occurrebat, intentabat jugulo gladium et

invisa capita devovebat. Quievit parumper improborum furor, Christiani præpotentis pecunia mitigatus : ac tribus exactis mensibus, dum de supplicii modo magistratus deliberant, Patres a Christianis noctu educti custodia, Funaium, regni Bungensis urbem incolumes pervenere. Sed cum tota regio bellorum tumultu circumsonaret, interque strepitus armorum Evangelii vox parum audiretur, alii alio profugerunt. P. Gaspar Villela Meacum, regiam urbem, et Imperii ac religionis Japonicæ arcem petiit, in eamque anno MDLVIII exeunte pervenit.

Annus Christi 1558 : Societatis 19.

R. P. JACOBUS LAINEZ,

SOCIETATIS PRÆPOSITUS GENERALIS II.

Congregatio generalis prima.

Expectabatur anxie annus MDLVIII, quo successor B. Patri legeretur. Ægre post viarum superata pericula Romam Patres confluxere, prono in æstatem vere. Illis capita quædam Lainius descripsit, ut ambitus ac reliquæ id genus pestes a Comitiis abessent. Initium Congregationi factum XIII Cal. Julias : et omnis comitiorum ratio, congruenter iis quæ Ignatius tradiderat, composita. Illud visum est ante omnia faciendum, ut Præpositus Generalis crearetur. Illuxerat dies sextus Nonas Quintiles, Virgini Deiparæ Elisabetham invisenti sacer. Convenerunt Patres in conclave, in

quo S. Ignatius vita discesserat, ut locus ipse, quis successor Beato Patri esset legendus, nempe illi simillimus, admoneret. Postquam Canisius latine verba fecit; Cardinalis Paiecus, qui nomine Pontificis interierat, multa de libertate, quam in suffragiis ferendis adhiberi conveniret, ac de negotii gravitate disseruit. Ventum deinde ad ferenda suffragia, quorum formulam et modum Annales nostri ad hunc annum exhibent *. Electus est P. Jacobus Lainius hunc in modum. Eductis ex urna suffragiis deprehensus est, quotquot erant ad legitimam electionem necessaria, tulisse. Qua de causa P. Paschasius Broëtus, cum esset Professorum antiquissimus, electionis decretum recitavit; quod quidem a Lainio, utpote Vicario Generali, recitandum erat, nisi electus fuisset ipse, creatusque Præpositus Generalis; in hæc verba:

Part. 2, lib. 2. n.° 29.

Jac. Lainez Præpositus Societatis.

« *Cum in plena et legitima Congregatione,*
» *collato numero omnium suffragiorum, plus*
» *quam dimidia pars omnium R. P. Jacobum*
» *Lainem nominaverit, et elegerit; Ego Pa-*
» *schasius Broëtus, auctoritate Sedis Aposto-*
» *licæ, et universæ Societatis eligo prædictum*
» *R. P. Jacobum Lainem in Præpositum Ge-*
» *neralem Societatis Jesu, in nomine Patris et*
» *Filii et Spiritus Sancti. Romæ in ædibus*
» *Societatis Jesu, ipso die Visitationis Beatis-*
» *simæ Virginis, anno Domini millesimo quin-*
» *gentesimo quinquagesimo octavo : assistente*

» *et præsidente Illustrissimo et Reverendissimo* » *D. Cardinali Pacieco, Episcopo Albanensi,* » *ex parte S. D. N. Pauli Papæ Quarti.* » His recitatis et scripto idem Paschasius, nomine omnium, suum chartæ subscripsit nomen; itemque Secretarius Societatis, qui et Decretum sigillo Societatis rite obsignavit : statimque cum illo Paschasius, moxque ceteri ordine positis humi genibus, manum Præpositi Generalis osculati sunt. De Comitiorum exitu Pontifex certior factus, omnia prolixe comprobavit. Ingenii doctrinæque publica spectacula, qui gratulandi modus convenire Societati præ ceteris est visus, edita sunt in templo Deiparæ, quod olim ethnici Pantheon, vulgus nunc Rotundam, ab ipsa ædis sacræ figura, nuncupat : nondum enim Societas Romana locum satis amplum et idoneum habebat, ubi litterariæ id genus haberentur exercitationes.

Creato hunc in modum Præposito Societatis, electi sunt, uti præcipitur in Constitutionibus, Assistentes, qui Præpositum Generalem sublevarent oneris parte, illique, ad capiendum in rebus gravioris momenti consilium, adessent : item Admonitor, hoc est : vir prudens ac pius, qui Præpositum modesta humilique libertate commoneret, si quid ab eo peccari, aut in illo desiderari videretur. Præscriptum a Societatis conditore fuerat, ut Constitutiones, non ante vim suam obtinerent, quam eas Congregatio, post obitum suum habenda

Constitutiones approbantur.

comprobasset. Illas summopere venerati Patres, firmas ratasque esse jusserunt, prout in Ignatii autographo erant conscriptæ. Ex eo descriptum diligenter exemplum et accurate recognitum, in Latinum sermonem a P. Polanco erat conversum, simulque a Patribus sancitum, ut nulla præterea interpretatio, nisi de totius Societatis auctoritate, fieret. Relatum subinde fuit de formula votorum simplicium, quæ ab iis concipi B. Pater voluit, qui solemnia quatuor vota nuncuparent. Hanc pariter formulam ratam habuit Congregatio, utque deinceps ab omnibus Professis usurparetur, sanxit.

Chorus et Generalatus triennium;

Ecce autem rerum incredibilis ac repentina mutatio. Paulus IV Pontifex renunciari Patribus per Cardinalem Tranensem jubet, exquirant inter sese ac deliberent, num Societati expediat, more atque instituto ceterorum Ordinum religiosorum, ad horas canonicas recitandas, uti choro? deinde, num consultius videatur, Generalis Præpositi munus triennio definiri? Ingens omnes subiit admiratio, quid venisset in mentem Beatissimo Patri, ut res adeo fixas ac deliberatas in constituenda Societate, toties a Summis Pontificibus approbatas et confirmatas, vocari vellet in deliberationem. Obtemperatum tamen est; at nemine dissentiente visum fuit, nihil mutandum esse. Mittitur cum Salmerone Lainius, qui id Pontifici significet. Accepit adeuntes tristi ac severo vultu, et sibi utrumque satius videri dixit : posse tamen Præposito

eidem Generali munus prorogari, si Apostolica sedes exacto triennio annueret : chorum etiam vacare cantu posse ; satis fore, si psalmi recitarentur : statimque Neapolitano Cardinali dedit negotium, ut congregatis Patribus hoc geminum caput suo nomine declararet. Quam reverenter est accepta Pontificis Maximi voluntas, præsertim quod spectabat chorum ; tam difficile in usum et mores adducenda videbatur. In Collegiis locus choro non erat, plerisque omnibus docendi labore totum diem occupatis. Itaque constitutum fuit (quoniam moderandi ordinandique chori rationem integram Præposito Generali Pontifex permiserat) ut in Collegiis Missa tantum ac vespertinæ preces, dominicis diebus et festis canerentur : chorus autem ad omnes horas in Professorum domibus haberetur, et Romæ cantandi factum est initium luce Archangelo Michaëli sacra.

Quo pacto viguerint et quamdiu.

Sollicitos Patres et anxios rei novitate ac difficultate, liberavit metu sententia Cardinalis Putei, ob juris Pontificii civilisque prudentiam ceterasque summas dotes clarissimi ; qui postquam cognovit, hoc in edicto nullam diplomatum, quibus instituta Societatis superiores Pontifices comprobaverant, factam esse mentionem, pro certo confirmavit, Pauli IV decretum vim dumtaxat mandati simplicis obtinere ; nec diutius, quam quamdiu mandans viveret, valiturum. Itaque mortuo Paulo, Generalis Præpositus, de sententia ejus-

dem Cardinalis, nec non quatuor Jurisconsultorum præcipuæ auctoritatis et eruditionis, chorum intermittendum censuit; ne mandatum pro perpetua lege ultro suscepisse, et novum onus imposuisse Societati videretur. Sua quoque Præposito Generali perpetuitas mansit, ut erat a S. Fundatore constituta. Causas et commoda hujus perpetuæ in Societatis capite gubernationis explicant Annales nostri ad annum MDLX et MDLXI *. Chorum anno MDLXII restituere cogitans S. Pius V, edixit Patribus ut collectas scripto rationes traderent Cardinalibus, qui pro decretis Concilii Tridentini observandis excubant. Fecere Patres, uti erat imperatum, et ostenderunt quantum rebus vel optime constitutis immineret periculi, si leges initio positæ et consensu majorum probatæ mutarentur. Modum ac formam Societatis Apostolica auctoritate sancitum non posse, sine aliqua ejusdem auctoritatis labe infringi: esse quidem idoneam aliquando mutandarum legum causam, si status rerum sit mutatus; vel si usus ac dies vitii quidpiam, quod antea latebat, incommodive detexerit. Huic duplici causæ locum in Societate nullum esse. Illam eo consilio fuisse conditam, ut instar expeditæ cohortis in procinctu semper esset, ad occurrendum conatibus hæreticorum, erudiendam in scholis juventutem, barbaros ad Christi fidem adducendos, spargendam huc illuc sine discrimine, sine cunctatione, cœlestis doctrinæ lucem, ad

* *Part.* 2. *lib.* 4. *n.*° 17. *et lib.* 5. *n.*° 122 *ad* 133.

ægros, in nosocomiis; confitentes in sacris tribunalibus, vinctos in custodiis, morientes in extremo certamine juvandos : cum tot tamque diversis occupationibus chorum stare non posse; quippe qui sit per se stabilis, uni affixus tempori, multi otii et multorum capitum. Abundare urbes sacris hominibus, qui Divinas laudes concinant; at contra non esse nimis multos qui ad docendum, ad opem animabus laborantibus afferendam excurrant; cum religio interim et pietas tot cladibus misere deformata lugeat, et medicas sacerdotum manus imploret. Quod si religiosis Ordinibus, militiam professis, canendi necessitas nulla imponitur, non videri negandum hoc Ordini nostro, qui sacrum quodammodo bellum erroribus ac vitiis palam et ubique indictum sustinet. Quid quod in illis ipsis qui choro utuntur Ordinibus, immunes a cantu habentur quicumque concionantur, discunt, docentve, quæ omnia Societatis ministeria sunt; in qua nemo a discendo, vel docendo, aliisve gravissimis pro animarum salute muniis obeundis, vacat. Certe a S. Gregorio præscriptum in Romano quodam Concilio accipimus, ne interessent choro Diaconi, quibus impositum verba publice faciendi onus erat. Suffragatur Pontifici Magno doctor Angelicus, dum affirmat satius esse ministerio divini verbi, quam cantu et musica mentes ad rerum cœlestium amorem erigere. Hæc aliaque id genus*, cum fuissent exposita Pontifici, eo valuerunt, non

* *Hist. Soc. part. 3. lib. 3. a n.° 1 ad 20.*

ut omnino tollendum chorum, sed modum diceret adhibendum, ut illo soluti ac liberi essent magistri litterarum ac discipuli; ut quibus horis populus non interesset, pauci, imo duo, chorum facerent, ut ne canendo multum temporis absumeretur. Pontificem ea ratio movebat, quod æquum censeret, ut sepositis interdum aliis occupationibus, Sacerdotes vacarent Deo et sibi : cumque huic rei a Societate provisum audivisset, ac certum ad meditationem rerum cœlestium, ad precationem, ad conscientiam bis quotidie examinandam, tempus nobis esse destinatum; subjecit nihil obfuturum meditationi, ceterisque piis exercitationibus chorum. Quamobrem anno sequenti, nempe MDLXVIII instauratus est, quam minimo tamen, ut Pontifex annuerat, ceterarum occupationum detrimento. Post obitum Pii V ob eamdem, quæ allata est sub Paulo IV causam, intermissus omnino fuit, nec postea repetitus.

Tres in Italia provinciæ.

Soluta Congregatione quarto Idus Septembris anni MDLVIII, Laines in curam ornandæ et amplificandæ Societatis incumbens, Romanam Provinciam in tres divisit : Neapolitanam, Longobardicam (quæ postea in Mediolanensem ac Venetam est divisa) et Etruscam.

Collegium in M. Politiano,

Montis Politiani cives, missis Romam legatis, egerant anno MDLVII de collegio instituendo in urbe sua, Societatis operam e stationibus ac missionibus temporariis non semel experti; quod

per sese, ac per Cardinales Joannem Riccium et Robertum Nobilium, cives suos, petebant, concessum est. Idem quoque concessum Foroliviensibus, rogatu Petri Griffi Episcopi, et Petri Alcotti, ejus successoris; quarto nonas Octobris cœpit collegium habitari et frequentari. Datum item Nolanis, instante Maria Sancta Severina, urbis olim Nolanæ comite. Stationem quoque habebat Societas Argentæ quod oppidum est Ferrariæ vicinum; nec non Calatabellotæ in Sicilia, non procul Agrigento. Sed cum ob utriusque loci angustias, neque disciplina domestica teneri, neque fructus e litteris capi magnus posset; utrumque domicilium solutum est. Eas ob causas edixit Lainius ut in Collegiis ordinarius numerus Sociorum vicenorum esset : tum vero, ut ex omnibus provinciis certi virtute ingenioque præstantes Romanum in Collegium erudiendi mitterentur, unde postea digressi, haustam velut e fonte, germanam pietatis ac doctrinæ formam, in suas quique Provincias reportarent.

Forolivii,

Nolæ, etc.

Collegium Montellanum in Hispania excitavit, ac certo munivit censu Catharina Fernandia a Corduba, Plegi Marchio. Belmontanum, inchoatum a Jacobo Lopio, Villenæ Marchione; provectum a Joanne Luca, pio Sacerdote; feliciter absolvit Francisca Pontia Leonia. Ocaniam Socios acciverat Ludovicus Calatajud, protonotarius Apostolicus, et in paratis ædibus collocaverat; cum

Montellis, et Belmonte;

Ocaniæ, et Toleti.

Toletanus Archiepiscopus, Cardinalis vulgo dictus Silicæus, Societati palam infensus, collegium admitti vetuit, et protonotarium, intra sextum diem, pœna majoris Anathematis indicta, adesse Toleti jussit. Ad diem dictam adfuit, et statim in carcerem conjectus, gravissima loci et perfrigidæ tempestatis incommoda homo jam octogenarius tres totos menses pertulit. Cum vero libertatis redimendæ potestas nulla fieret, secretis tabulis testatus: cedere se non sponte, sed ut vexatione illa eriperetur; significavit, rescindere se omnia, quæ in Societatis gratiam egisset. Emissus carcere dissimulavit consilium, quamdiu Silicæus superfuit: eo mortuo*, collegium restituit XVIII Cal. Maii hujus anni. Simile quid Silicæo traditur contigisse supremo in morbo; quod morientibus accidere vulgo solet, ut res aliter atque antea videant, cum oculos perturbatæ mentis, quos amor odiumve clauserat, cœca mors aperit. Dolere se professus est, quod ignorasset Societatem, neque se talem ei qualem decebat præbuisset. Plus valuere morientis verba, quam viventis facta. Itaque Bartholomæus Carranza Miranda, Dominicanus, qui Silicæo successit, nihil habuit antiquius, quam ut Societatem Toletum inferret. Consultius visum est Professorum domum institui, quam collegium; cumque in promptu essent novæ quædam ædes vacuæ, nuper a Silicæo ad Seminarium Clericorum extructæ, in his recentes colonos Archiepiscopus Carranza con-

**Pridie Cal. Junii, anno 1557.*

stituit, donec alia se domus offerret. Brevi illa oblata est, eaque in loco urbis percelebri, et Societatis ministeriis opportuno.

At locus, in quo stabat Compluti collegium, valetudini nostrorum infestus erat; eam assidui, maxime per æstatem, vexabant morbi : evenerat-que aliquando, ut nemine domi ad ceteros curandos incolumi relicto, alienorum opera esset foris arcessenda. Medici omnino necessarium censuerunt, ut villa pararetur, ubi fracta studendi docendique labore corpora se reficerent. Erat Lorantia pagus in conspectu Compluti; eximia cœli salubritate; erat in eodem ædicula sacra, neglecta et pene collapsa. Hæc Societati tradita est. Coëmptum pariter aliquantum agri vicini; stationi nomen, Jesus a monte, impositum. Accessit altera eidem collegio Complutensi quasi appendix, Navalcarneri sedes, quod oppidum est in Archiepiscopatu Toletano. Doctor Joannes Baptista Madridius ecclesiasticum beneficium fundando ibi collegio, ac postea seipsum, Societati dedit. Subortis difficultatibus, res nisi anno MDLXVI confecta non est. Complutensium villa etc.

Multis in urbibus, citerioris præsertim Hispaniæ, desæviens pestilentia magnam obtulit nostris occasionem tum patiendi, tum de mortalibus plurimis bene merendi, et moriendi, Valentiæ præ ceteris, Barcinone, ac Murciæ. Quo in periculo valetudinis et vitæ, nec non rei familiaris difficultate, summa eluxit in Socios Barcinonenses

præcipua liberalitas monachorum Montis Serrati. Neque contenti sua copia illorum inopiam sublevare; conscriptis etiam rite litteris, Societatem universam in partem meritorum, ac Divinarum suarum opum, communi consensu vocaverunt.

Res gestæ in Polonia; Canisius.

Poloniam adierat primus e Societate Alphonsus Salmeron anno MDLV, a Pontifice comes datus Aloisio Lippomano Apostolico Nuncio; sed in ea parum diu moratus et quasi præteriens, nullam publice pro religione vel Societate dicendi occasionem habuerat. Longiorem moram gravissima florentissimi regni pericula postulabant. Hæresis, late per Septentrionem grassata, veterem Polonorum in catholica fide retinenda constantiam attentabat. Persuasum vulgo fuit, indulgentiam Regis et incautam lenitatem, magnum spargendo errori locum dedisse. Ulcus, quod erat igne ac ferro coërcendum, fovebat dissimulatione perversa et bonitate. Nec vacare culpa Episcopi dicebantur: partim senio languidi; partim destituti doctrina; nonnulli etiam remedia desperantes, et ut perdita in re, negligentiores. Spes aliqua tamen restituendæ religionis apparuit in comitiis regni Petricoviæ habitis. Nec minor suberat metus, ne quid ab improbis per vim ac tumultum male decerneretur. Id reformidans Pontifex destinarat Cardinalem Pisanum, qui comitiis interesset. Nuncium interim Apostolicum præmisit Camillum Mentuatum, Satriani Episcopum, eique duos e Societate

Theologos adjunxit, et nominatim Canisium : qui simul atque Cracoviam attigit, latine peroravit in frequenti corona, et quæ in rem expedire visa sunt, disseruit. Petricoviam delatus, sedulo cunctos qui jam confluxerant Præsules adiit. Deinde, Stanislaii Hosii Varmiensis Episcopi, dialogum de Communione sub utraque specie, deque conjugio Sacerdotum, recognovit, et vulgandum curavit, idonea tempori argumenta. Comitia IV Idus Febr. soluta sunt exitu, quam sperabatur, meliore. Nam licet gravissime Regem concusserint hæretici, tamen adduci non potuit, ut quidquam statui pateretur contra Episcopos, vel in religione mutari.

P. Villela Meacum subit.

Quod frustra S. Franciscus Xaverius olim tentaverat, ut Meacum, in arcem superstitionis Japonicæ Christum inferret, hoc unus ex ejus imitatoribus perfecit. P. Gaspar Villela fuerat invitatus a Bonzio Meacensi, qui concionantem ante annos aliquot Xaverium admiratus, Christianam religionem præ sectis popularibus æstimare magni cœperat, avebatque plenius eamdem cognoscere. Villela pridie Cal. Dec. Meacum ingressus, Bonzium comperit mortuum. Nihilominus animum non despondit, tam potenti orbatus patrono. Instinctus illo Spiritu, qui viros Apostolicos præter humanæ sapientiæ leges usitatas movet, sub ipsum meridiem procedit in plateam, et Christi Crucifixi effigiem attollens dextra, vocemque contendens, populum ad audiendam magni Dei legem

vocat. Primam concionem secutæ sunt popelli saunæ, eruditorum admiratio, ira Bonziorum, qui a peregrino doctore lacessiti et disputando victi, eum pugnis calcibusque oppido extruserunt. Recepit se in stabulum, Bethleemitico non absimile, sub urbis mœnia, hyemi, nivibus ventisque pervium. Ibi tres totos menses consedit, populi prætereuntis, et vicina ex urbe confluentis, puerorum ac senum, virorum ac mulierum convicio quotidiano, saxis interdum, appetitus : procurrens nihilominus identidem in compita, et suadens *de regno Dei*. Demum, aspirante, quasi vernis favoniis, cœlesti aura, semen aspero commissum solo, post hyemem et pruinas, extulit sese ac frugum ubertate moras sationis abunde compensavit. Villelæ patientiam et doctrinæ robur conspicati, quicumque intelligentia plus valebant ac probitate, ad novæ legis magistrum accessere noctu, et Christiana doctrina instituti circiter centum, religionis sacra suscepere. Nobiles deinde permulti deposito fastu Japonico, amplexi sunt ignotam hactenus humilitatem in Christi schola. Ex iis Mioxindonus, summo genere natus, et aulicos inter proceres clarissimus, Imperatori collaudare Villelam, et commendare non dubitavit. Quonquenindonus Japoniæ tunc præerat. P. Villelæ potestatem fecit palam in urbe ac tuto commorandi, et legem Evangelicam propagandi. Regius favor ac religionis novæ sanctitas, excivit innumeram hominum vim, partim

spectandi doctorem externum, partim disputandi studio; imi pariter ac summi docentem æquis animis audivere: domus illi data; conditum templum, et veri Numinis cultoribus brevi refertum fuit.

In Amboino et Molucis insulis Christianorum amplius millia quinquaginta censebantur; paucis admodum Sociis, multorum partes et munia naviter obeuntibus. Unus necdum sacerdos, oppidi satis ampli cives omnes ad Christum adduxit. Quo facto magnam subiit ethnicorum invidiam, ab iisque oneratus vinculis ad Gilolæ insulæ Regem perductus, vix demum a Lusitanis vindicatus in libertatem est. Ejusdem Regis jussu Joannes Beira, sæpe conquisitus ad necem, ægre sicariorum manus effugit. Idem Mauricas inter atque Ternatam naufragium ter fecit, ac toto biduo cum undis ventisque luctans, ex arrepta tabula suspensus hæsit. Nec pauciora excepit terra quam mari discrimina; modo barbaris venditus; modo illis persequentibus, in nemora compulsus, quorum latebris multos dies contectus, vitam sylvestribus baccis vulsisque radicibus ægre sustentavit. Profectus demum Goam ut auxilia conquireret, impeditus est adversa valetudine ne rediret: ejus loco submissi Socii, auctam Baccianensis reguli conversione rem in Molucis Christianam invenerunt. Insula Baccianus a Ternata passuum millibus circiter triginta distat. Hujus regulus, Mahometanus, Ternatino regi obnoxius, et ab eo sibi timens,

Joan. Beiræ pericula, in Indiis.

Bacciani Regulus, cum suis suscipit baptismum.

Lusitanorum opes et amicitiam expetiverat. Eam ob rem filio, ut Christianus fieret persuasit, et in eum transtulit regnum. Paucis diebus mortuus est in misera superstitione senex : at filius serio Christianam amplexus Fidem, eam suscepto publice Sacramento cum fratre, tribus sororibus et magna nobilium parte, professus est. Rem iniquissime Ternatinus tulit; Christianis pariter ac Lusitanis pridem infensus, de utrisque perdendis conjurat. Odoardus Deza, Ternatinæ Lusitanorum arcis Præfectus, antevertendum ratus, dissimulato consilio illum ejusque fratrem in suam invitat arcem, et ambos comprehendit. Ad liberandum Regem indigenæ cum Mahometanis concurrunt : bellum atrox oritur. Lusitani Regem reddere coacti, pacem ambiguam composuere, quæ diu non stetit.

P. De Castro interficitur a Mahometanis.

In hoc tumultu Ternatino P. Alphonsus Castrius periit. In Indiam e Lusitania sua navigaverat, ut ad Christum barbaros duceret. Ibi acceptus in Societatem a Xaverio, missus in Molucas et Sociis præpositus. Cum insulam Ternatam peteret, a Mahometanis comprehenditur, spoliatur, antennæ cornibus tamquam cruci alligatur; afficitur verberibus, inedia torquetur. Instabant interim diu noctuque, ut illum a Christi cultu ad impuram sui Mahometis sectam averterent. Transactis diebus triginta, cum nihil cruciatibus promissisve proficerent, necandum sicariis duobus dedunt, à quibus gladiis confectus, in mare provolvitur.

Eamdem ob causam, licet non eodem modo, Petrus Correa et Joannes Sosa, ut anno MDLIV diximus, perierant a Brasilis : eorum rigata sanguine Brasilia lætiores, quam antea, fructus extulit. Innata genti feritas mansuescere facilius visa est, et Religio radices ubique altiores egit. Eam vero nihil magis commendabat, quam sanitas ægrotantibus, quos in templum deducebant, subito restituta. Multis quoque infantibus, quorum desperata salus erat, statim ac sacro tincti sunt fonte, utramque vitam Divina bonitas indulsit. Quibus prodigiis victa populi pertinacia jugum suave Christi subiit, ac dœmoniorum longam tyrannidem excussit. Illi vero ad retinendum vetus imperium novas artes adhibuerunt; quodque per ipsos Brasilos consequi satis commode non poterant, hoc per accitos ex Europa ipsa hæreticos, satellites sibi notos ac fidos, efficere tentaverunt. Villaganonius * eques Melitensis erat, Provino, urbe Galliæ, oriundus : ingenio acer, excultus litteris, rei nauticæ ac bellicæ peritus, Calvinianam amplexus hæresim, operam suam Colinio maris apud Gallos præfecto et novitatis patrono detulit, ad coloniam Gallorum, simulque stationem hæreseos, in Australi America collocandam. Profectus e Gallia, Colinio naves subministrante, urgente ipso Calvino, consilii pestilentis auctore, venit cum ingenti Calvinistarum manu ad ostia fluminis Brasiliæ, quod Januarium Lusitani vocant. Continuo molitur ar-

Brasiliæ Calvinus inhiat frustra.

* *Nicolas Durant de Villagagnon.*

cem; et arma contra barbaros ac Lusitanos expedit. Sed, cum utrisque se imparem videret, auxilia copiasque majores accivit e Gallia. Colinius tria navigia, militibus et armis instructissima, submisit. Inter vectores, qui suum huic militiæ et expeditioni dederant nomen, eminebant celeberrimi duo doctores, e Calvini schola. Est hæc hæreseos indoles ut numquam sibi constet : inter se dissidebant duo isti erroris magistri de præcipuis capitibus religionis; nihil inter ipsos convenire poterat : hinc altercationes, rixæ, et seditiones inter classiarios vectoresque perpetuæ. Ex opinionum discordia vanitatem sectæ Villaganonius intelligens, doctoribus et Calvino nuncium remisit; sed vicissim a magna militum parte desertus; auxiliis etiam, quæ negavit Colinius, postquam mutatum hominem vidit, destitutus, Galliam repetere coactus est; ubi arma doctrinæ et ingenii contra Calvinum et ejus gregales vertit. Lusitani, fugatis e Brasilia hæreticis, arcem a Villaganonio constructam æquarunt solo. Patres relictam a zizaniorum satoribus sementem evellere studuerunt.

Africana expeditio.

In Africam Christianæ naves consilio sanctiore, quam istæ Calvinianæ in Brasiliam, navigarunt, licet successu non æque omnes prospero. Sed successum moderatur Deus; voluntas bona in potestate nostra est. Oranum, regni Algeriani oppidum, et in Hispanorum ditione, Mahometani parabant invadere. Venit auxilio Hispana classis

et aliquot cum ea Socii. Oranum appulsi, ibi substitere ad militum animos et corpora curanda, quorum plerique morbo strati jacebant. Reliquus exercitus barbarorum multitudine circumventus initio laboravit. Patres pro mortuis aliquamdiu defleti; ad extremum, divina ope incolumes, ærumnis et laboribus debilitati, domum redierunt.

Non fuit felicior expeditio sequentis anni, cum Philippi regis Catholici jussu instructa classis Tripolim, ante aliquot annos a Turcis occupatam, recipere tentavit. Acciti e Sociis septem laboriosam classiariis operam navaverunt; non eo tamen qui sperabatur exitu. Nam jactata tempestate classis, ægre Lotophagorum insulam (Zerbas hodie vocant) attigit: nec multo post, commisso prælio, in hostium potestatem partim vi, partim deditione venit. Oneraria, quæ Socios cum ægrotis vehebat, persequentium conatus et arma singulari Numinis beneficio effugit, et in Siciliam se recepit. Sed jam nos altera et longior Africana expeditio vocat.

Annus Christi 1559 : Societatis 20.

Africa inæqualis trianguli figuram refert. Latus obversum Septentrioni Europam respicit; latus Orientale spectat Asiaticæ Peninsulæ oram Malabaricam : Occidentale vero Americam Australem longe videt. Utrumque latus desinit in acumen, et in meridiem longe procurrit. Hujus apicis, quod Bonæ Spei Promontorium recentiores

appellant, littora obtinent Cafri. Supra Cafros Monomotapæ regnum est. Latus Septentrionale, cui Barbariæ nomen inditum, occupant Mauri, Algeriani, Tunetenses, et Ægyptii : Lateris occidui partes præcipuæ sunt Congum, Angola, Guinea. Orientalis vero Æthiopia, et Nubia, quæ in Africam interiorem late funduntur.

Cafrorum Regulus cum suis Christi legem profitetur.

Accidit circa annum MDLIX, dum Africæ littora Lusitani permeant, ut filius cujusdam Cafrorum Reguli baptizaretur, in insula Mozambico. Domum reversus fratres ac patrem ipsum incendit baptismi cupiditate. His Goam perlatis judicarunt Socii non omittendam, quæ religioni aditum ad Cafros dabat, occasionem. Patrem Consalvum Silveriam huic expeditioni destinant, virum pietate, prudentia et auctoritate præstantem. Adjunguntur illi duo comites : P. Andreas Fernandius, reversus Roma, quo ipsum S. Franciscus Xaverius miserat, ut S. Ignatio statum Indicæ Societatis exponeret; et Andreas a Costa, natu ipse quoque jam grandis, et a seculi militia, in qua haud sine laude meruerat, ad Christi signa Societatemque transgressus. Goa profecti, eodem anno MDLIX jam senescente, attigerunt initio sequentis anni portum Cafrorum Inhambanem, ad quem Lusitani ebur et electrum empturi conveniebant. Erat portus in potestate illius Reguli, cujus filium Christiana suscepisse sacra diximus. Nomen regulo Gamba; regia vero civitas Tonge; populi Mosarangæ appellabantur.

A Rege facta statim potestas fuit Evangelii disseminandi; nec multo post ipse cum uxore, liberis, totaque domo, ac plerisque proceribus Christo nomen dedit. Continuo templum exstructum fuit, et Assumptæ in cœlum Deiparæ dedicatum.

Angolanæ res.

Circa idem tempus in aliud ejusdem Africæ regnum Fides per Societatem est inducta. Ægre tamen, nec sine multa dimicatione : quæ conditio Evangelii propagandi semper fuit. Infra Conganum regnum si procedas ad meridiem, occurrit Angolanum. Quatuor in eo Provinciæ celebriores, Ilamba, Quisama, Mossequia et Dongia; Cabaza, urbs regni primaria : præcipuum flumen Coanza. Abundat regio palmetis; hinc vinum incolis et oleum. Sunt etiam salis fodinæ, admodum quæstuosæ. Cæditur sal in laminas bipalmares, coloris candidissimi, et in finitima etiam regna deportatur. Olim Angolanis imperitabant Reguli, sui juris singuli; Sobas vocabant : donec anno MDXL unus potentior ceteris et callidior summam potestatem invasit, seque Angolam Inenem, hoc est magnum Angolam, nominavit. Ille, cognita e vicinis Conganis potentia Lusitanorum, et Christianorum moribus, legatos tres destinavit in Lusitaniam, commercii facultatem petens; et Sacerdotes, a quibus divinam legem doceretur. Olisipponem anno MDLVIII pervenerunt. Pergrata Lusitanis accidit hæc legatio; sed munera, Sacerdotes et legatos vicissim comparantibus affertur, Angolam

Inenem obiisse. Dum dubitatur quo animo erga Lusitanos et religionem effectus sit Dambes, ejus filius et successor; annus totus abiit. Tentanda res nihilominus visa, et bini Sacerdotes e Societate, totidemque rei familiaris adjutores cum Paulo Diazio de Novaez, nobili Lusitano, legationis principe profecti, regnum Angolanum anno MDLX ineunte attigerunt. Rex humaniter initio acceptos, obortis deinde suspicionibus, diu velut in custodia detinuit, nusquam illos ab aula passus discedere. Sed, cum annonæ penuria Lusitani laborarent, quam Rex maligne subministrabat, Paulum Diazium, ut eam a Lusitania curaret, dimisit post annos fere septem, pluribus verbis excusans, si quid egisset asperius, sibique certum ac deliberatum esse affirmans, Christianam profiteri legem, et amicitiam fidemque cum Lusitanis sancte colere. Remissus in Lusitaniam Diazius, etsi non ignoraret, quam parum barbaro esset fidendum, tamen regredis tatuit; tum ut pœnas ab eo repeteret, si frangeret fidem; tum ne P. Franciscum Goveam destitueret, quem Rex tamquam obsidem retinebat. Relictus inter Angolanos Govea dabat operam instituendo Christianis moribus præceptisque populo, et paucis qui remanserant in regia Lusitanis excolendis. Cumque parum apud Regem proficeret, et ab eo multa indigna pateretur, post annos demum aliquot quam in regno Angolano manserat, confectus ærumnis vita cessit *.

* *anno* 1574.

Uberior fructus ex Æthiopia, et Abyssinis collectus non est. Imperatori Claudio sine liberis extincto successerat ipsius frater Adamas Segnedus. Ille captus olim e Turcis, et Mahometanam impietatem sectatus, sævire statim cœpit in Christianos, ac ne quis adiret Lusitanorum templa, vetuit : quosdam e populo catholicam amplecti Fidem palam ausos, verberibus publice affecit; nonnullos etiam morte mulctavit; postremo Andream Oviedum cum Sociis relegavit in asperam solitudinem, iisque omnem cum populo sermonem de religione interdixit. Erupit interim* procerum adversus imperatorem conjuratio. Ab iis victus cæsusque; vexati Patres et spoliati. Accessit ad mœroris et infortunii cumulum obitus P. Joannis Nunnii Barretti, qui Æthiopiæ Patriarcha nominatus e Summo Pontifice, et in Collegio Goano expectans opportunitatem Æthiopiæ subeundæ, non ita multo post* in eodem collegio decessit.

Imperator Abyssinus in Christianos sævit.

* *anno* 1561.

P. Nunnius Barrettus moritur.

Decembri, anno 1561.

Magnum ille Patribus Goanis incitamentum ad rem strenue gerendam erat, tum exemplo religiosæ vitæ, tum alacritate in perferendis animarum causa laboribus, et in ethnicis erudiendis, quorum multa millia inter Christianos hoc anno annumerati sunt Goæ, nec non in insula vicina Ciorano. In Bazainensi ac Tanaensi tractu, præter Indos grandiores natu Christianis sacris initiatos, empti sunt a nostris pueri complures, quos parentes Mauris parabant vendere. Pagus etiam in

Religionis in India progressus.

amœno prope Tanaum agro conditus est, eique nomen a Sanctissima Trinitate factum, itemque templo, quale nullum adhuc tota in India fuerat, hoc nomine consecratum. Sic ulcisci quodammodo placuit satanæ superbiam, qui ductus veræ sempiternæque Trinitatis prava æmulatione, triplex quoddam et unum Numen in pervetusto ejus regionis templo fabricatus erat, ita composito simulacro, ut ex uno trunco tria exstarent capita. In septemtrionali supra Goam plaga Damanum visitur : quam urbem cum expugnasset Indiæ Prorex Sociis sedem in ea collocavit, ut militum ac civium gererent curam: et hos quidem incitarent ad suscipiendam Christi religionem; illos in suscepta confirmarent.

Collegii Damanensis origo.

Non ita facile fuit S. Pio V et Cardinali Augustano ac Ferdinando Cæsari, Societatem collocare Augustæ Vindelicorum. Vocatus fuerat Canisius cum Sociis aliquot ad comitia hoc anno habenda in hac celeberrima urbe Germaniæ. Efferati nomine Societatis et conspectu hostes religionis ad arma solita confugerant, calumnias, opprobria, maledicta. His nimirum pugnant et valent. Opposuere nostri Christianam mansuetudinem, et eruditionis ac veritatis arma, quibus non solum tecti fuerunt ipsi, verum etiam plurimos agminis infesti manipulares, atque adeo primipilum centurionem, Stephanum Agricolam, profligarunt, et ad bonas partes transtulerunt. Comitio-

Societas in Comitiis Augustanis;

rum successus, et religionis causa niti maxime debebat concordia catholicorum. Paulus IV Summus Pontifex et Ferdinandus Cæsar dissidebant, alienatione quadam voluntatum, et privatis offensionibus divulsi. Cæsarem Canisius ad concordiam et pacem flexit; utque Pontifex placaretur egerunt Patres, qui Romæ versabantur. Quo sublato feliciter obice, consentientibusque ad retinendam veteris doctrinæ possessionem Præsulibus, quos ad eam rem verbis, lucubrationibus, omni obtestatione Socii accendebant, conventus Augustanus exitum opinione multo commodiorem habuit. Non contenti Patres præsentem Ecclesiæ laboranti opem attulisse in hoc Augustano cœtu, eidem in posterum tutandæ muniendæque opportuna præsidia compararunt: cum auctores fuere Antistitibus, ut publicas, in sua quisque diœcesi, gratuitasque fundarent scholas; ut frequentes convocarent Synodos; ut Seminaria formandis ad Ecclesiastica munia idoneis adolescentibus conderent. Persuasum quippe habebant Ecclesiæ in Germania restituendæ fabricam ab ipsis fundamentis, hoc est, ab instituenda bonis artibus et moribus juventute, inchoandam esse. Cum vero cernerent Augustæ plurimos optimæ spei juvenes a studio litterarum inopia domestica retardari, ac per istam occasionem et liberalitatem hæreticorum insidiosam, ad eorum partes facillime traduci: domicilium illis et necessaria prosequendis commode studiis subsidia

et in tutanda Ecclesia.

quæsiverunt. Ad populum in avita Fide continendum, aut ad eam revocandum, quem divini verbi corruptores non alia magis capiebant esca, quam ostentato Divini verbi puri sincerique illicio; de verbo Dei disputarunt et certas, quo falsum et adulteratum a vero germanoque dignosceretur, ostenderunt notas; unde perspicue colligebatur, nequaquam Dei verbum esse, quod ex impuris Lutheri lacunis hauriebatur, quodque multi tam falso, quam ambitiose, venditabant. Ad catholicos vero sæpius de supremo judicio, de peccatorum pœnis disserebant; ut salutari concussa metu pectora e veterno vitiorum excitarent. Confluebat ad Canisium audiendum populus ex ultima Germania, palamque fatebantur neminem ardori dicentis et docentis robori posse resistere. Idem ut orandi usum aleret, quo fonte ceteræ virtutes velut rigantur; redegit unum in libellum selectas precandi formulas, et *Enchiridion Catholicorum* inscripsit: placuitque tantopere Cæsari opusculum, ut subjici rursum prelo, ac longe lateque vulgari jusserit. Addidit Canisius ornatissimas B. Hieronymi epistolas, ut in iis Christianam eloquentiam pari conjunctam pietate, juventus studiosa condisceret. Alios ipse libros de controversis Fidei capitibus scripsit, et scriptos ab aliis edidit. His præsidiis munita Religio extulit caput, hæresis debilitata jacuit: mutata brevi Augustæ facies, reddita templis frequentia, veneratio mysteriis

Petri Canisii opera.

sanctissimis, æquitas contractibus mercatorum, vetus disciplina cœnobiis : ereptus error, ac pertinacia quamplurimis proceribus, et præsertim duabus feminis nobilibus ex illustrissima Fuggerorum domo, cujus erga se liberalitatem, et munificentiam prædicare Societas nostra numquam desinet.

Hæc Romam perlata singulari voluptate Summum Pontificem affecerunt, qui Canisium in frequenti Patrum Purpuratorum cœtu multis laudibus prosecutus, ad eumdem honorificentissimas litteras dedit *, et ad pergendum in opere tam sancto magnopere hortatus est. Simul faciendum illud putavit, ut Collegium Societatis primo quoque tempore Augustæ poneretur. Eadem Gregorii XIII postea mens fuit. Hoc ipsum deinceps Bavariæ duces, Antistites Augustani, et Maximilianus Cæsar efficere studuerunt, irrito tamen semper conatu : adeo hæretici, quorum partes in civitate tunc præpollebant, obfirmati contra nitebantur. Deus illis ipsis ad rem conficiendum denique est usus anno MDLXXX. Clara, ut modo dicebamus, et opulenta Fuggerorum familia erat Augustæ. Ex ea cum Udalricus Fuggerus opimam Fratris demortui hæreditatem adiisset, egit cum cohæredibus, ut e communi relictæ pecuniæ summa, certa portio in pium aliquod opus expenderetur. Exorta erat non levis controversia de opere pio diligendo, aliis aliud proponentibus; Senatus edixit, ut quod pluribus placeret hæredibus, id ratum haberetur.

* *Pius IV. Martio* 1562.

Collegium Augustanum.

Hæredum pars major erant plerique adolescentes, in disciplina Societatis, et scholis educati. Illi pecuniam collegio fundando addixerunt. Reclamavit enim vero hæreticorum factio; Senatus ipse, rem contra sua cecidisse vota cernens, intercessit: jamque negotium fere disturbaverat, cum urbis Præfectus somnio perculsus, ex adolescentium suffragiis rem confici jussit.

Collegium Trevirense,

Iidem hæretici fuerunt in causa, cur Trevirensis Archiepiscopus Societatem Treviros induceret. Per eos accessitus concionator Lutheranus, profecto ad Augustana comitia Præsule, urbem seditiosis orationibus permovebat. Accurrit Archiepiscopus et ejecto zizaniorum seminatore, præconem Evangelii catholicum in ejus locum substituit, frementibus novæ doctrinæ patronis, et arma etiam intentare ausis. Antistes, ne quid ejusmodi accideret in posterum cavens, et Academiam Trevirensem in pristinum decus reponere meditans, oculos conjecit in homines Societatis, eosque partim Colonia, partim Roma evocavit. Collegium Jacobus Elsæus, Trevirensis deinde Præsul, assignatis in perpetuum certis vectigalibus, anno MDLXXVII fundavit. Albertum, Bavariæ Du-

Monachiense,

cem, pietas sua, et perspecta Sociorum Ingolstadiensium sedulitas impulit, ut Societatem in urbe sua primaria Monachio constitueret. Qua de re litteras ad Lainium scripserat, præsenti anno, quinto Nonas Julii datas.

Thomas Janguesus, e prima Lucronii nobili- Lucroniense,
tate, cum se Deo in Societate donavisset, patrimonii partem ad ponendum in patria gymnasium dedit. Operam illi ad revellendos obices quosdam utilem contulit Franciscus Medranus, insignis Canonicus. Rumores autem infestos, a malevolis initio dissipatos, veritas paulatim perspecta refutavit: tum vero constans nostrorum labor in juvanda civitate, præsertim anno MDLXIV, cum eam sæva pestis invasisset. Præerat Sociis P. Petrus Martinius, qui pro concione denuntiavit, neminem e nostris urbe discessurum. Nemo discessit: licet quatuor, in iisque ipsum Rectorem invicta mali vis oppressisset. Memor tam munificæ charitatis, civitas collegium parum commode constructum ædificandum ornandamque suscepit.

Haud facile civitatem in Hispania reperias Segobiense,
quæ majori ordinum omnium gratulatione Societatem exceperit, quam Segobia. Fuere de principibus viris, qui stipem vicatim conquirerent ad jacienda collegii fundamenta: Ludovicus Mendoza, vetus olim Ignatii amicus; cives reliqui communi consilio, nummos, supellectilem, aliaque id genus largiti sunt. Ingens confestim, ut in urbe amplissima, fuit celebritas concionum, frequentia confitentium in templis, et cœlesti pane vescentium: adolescentum in scholis lectus numerus; quodque spectaculo et admiratione erat, amplius tria puerorum millia, diebus festis Christianæ legis rudi-

menta docebantur : concurrentibus non visendi tantum, sed etiam audiendi studio provectioris ætatis hominibus, seque tum demum, quæ dignitas, quæ partes et munera essent Christiani nominis, intelligere fatentibus.

Palentinum, Socios Palentiam evocavit Teresa Quignonia, Comes Montis-Acuti; et Joannis Vegæ, olim Siciliæ proregis, Soror liberique. His optantibus, et civibus promptam liberalitatem exhibentibus, Palentinum domicilium assurgebat; cum ædificationem retardarunt querelæ mendicantium cœnobitarum, dum contendunt intra centum et quadraginta decempedas a suis cœnobiis domos Societatis construi non licere. Controversiam diremit Summus Pontifex anno MDLXI, et Collegia domosque nostras ubilibet collocandi potestatem fecit.

Bracarense, Statim atque Barth. a Martyribus, Ordinis Dominicani clarissimum lumen, creatus fuit Bracarensis Archiepiscopus ad P. Lainium Societatis Præpositum Generalem scripsit * *se multis ab annis sanctæ ejus familiæ divinctum esse, quam procul dubio crederet cœlitus missam ad horum miserabilium temporum minas et calamitates reparandas, se oculos conjecisse in Patres sacræ Societatis : tamquam in primos coadjutores suos in opere Domini, primaque instrumenta divinæ gloriæ in illis partibus egentissimis. Itaque precari, ut sibi ne deesse velit, sed minimum decem aut duodecim e suis mittat donec colle-*

* *die* 3 *Sept. an.* 1559.

gium numeris omnibus absolvat. Optimi Præsulis vota plurimum adjuvit Francisci Borgiæ auctoritas, et prudentia, qui tunc in Lusitania omnium animos ad pietatem exemplo vitæ, et sacris concionibus accendebat. Hunc aliquando cum audire cuperet Cardinalis Henricus, et Borgia valetudinem solito graviorem excusaret, subjecit Cardinalis : *Nolim loquatur; sat mihi fuerit hominem in suggesto intueri, qui quidquid habuit, cum tantum haberet, Dei causa totum deseruit.* Bracarensi collegio accessionem fecit magnam Rex Sebastianus, et fundatoris nomen cum Antistite Bartholomæo a Martyribus partitus est.

Portus est oppidum nobile ad ostium Durii fluminis in superiore Lusitania, quæ spectat Septentrionem, et infra Gallæciam patet. Eo cum venisset Borgia, domicilium sibi legit in hospitio publico pauperum. Latere diu non potuit, nec recusare, quin divini verbi panem populo frangeret; id enixe flagitantibus Episcopo, et primoribus civitatis. Verba fecit, excitavitque vetera civium de collegio statuendo studia, et ad exitum perduxit. Exemplo inductus Joannes Brigantiæ dux, Societati sedem destinavit in urbe sua, et triennio post operi manum ultimam imposuit. Portuense, Brigantinum,

In excursionibus quibus a collegii Romani Sociis oppida Romæ vicina lustrabantur, ita placuit eorum opera Tusculanis, ut civitas communi consilio perpetuam sedem illis obtulerit. et Tusculana domus.

Aditus in Sardiniam.

Novam Societati Provinciam annus MDLIX, et aditum in Sardiniam aperuit hunc in modum. Alexius Fontana ex hac insula oriundus, cognitam habebat Societatem ex litteris, quas S. Ignatius communicare cum eo solebat de rebus ad Dei gloriam per Socios ubique terrarum gestis. Fontana Ignatio vicissim ejusque Societati, quibuscumque poterat officiis, favebat; præsertim apud Carolum V, cujus in aula et comitatu versabatur. Cæsarem in Belgium secutus, amicitiam consuetudinemque junxit cum P. Petro Spiga, populari suo, Lovanii tunc degente. Ambo consilium inierunt de Societate in Sardiniam introducenda. Magnam rei conficiendæ opportunitatem attulit ipsius Sardiniæ quæstura, quam Fontanæ Philippus rex Catholicus demandaverat. Enimvero moram omnem abrumpendam arbitratus P. Spiga, dat se in viam, et Caralim appulsus, ignem divinæ charitatis, quo ardebat, urbe tota sparsit. Unus ægris adesse in nosocomio, vinctis in carcere, calamitosis et egentibus in reliqua civitate. Progressus interea Sassarim Fontana, ibi cœlebs obiit condito testamento in hanc sententiam, ut res sua familiaris annuis incrementis paulatim amplificaretur, quoad vectigal fundando in urbe Sassaritana collegio idoneum conflaret. Spiga tandiu expectandum non censuit. Scribit ad Lainium, postulat Sacerdotes qui dent Societatis specimen. Hoc ipsum Prætor Sassaritanus, hoc et cives reliqui deposcebant.

Collegium Sassaritanum.

Mittitur P. Balthazar Pinna, cum aliquot Sociis. Novorum hospitum modestia, gravitas, pietas in sacrificando, populum valde conciliarunt. Ubi vero fuit auditus Pinna de suggestu, datumque publice specimen ministeriorum Societatis, exarsit vehementius omnium consensus ad petendum collegium. Scholæ tamen, dum ædes parantur, nisi tertio post hunc anno, apertæ non sunt.

Annus Christi 1560 : Societatis 21.

Anni superioris malaciam ac serenitatem parumper fœdavit exorta contra Borgiam in Hispania tempestas. Occasio viri sanctissimi vexandi oblata malevolis ante aliquot menses, fuerat ex libello quodam ejus nomen præferente. Scripserat Hispanice, priusquam iniret Societatem, pia quædam opuscula, privatum potius in usum, quam ut ea in vulgus ederet. Inciderant in manus bibliopolarum, qui non temere arbitrati, emptores minime defuturos libro, cui præfixum nomen Ducis Gandiæ legeretur, augere molem libri, pretiumque studuerunt, et collectas e scriptoribus variis pias exercitationes, non omnes æque castigatas et innoxias unum in corpus redegerant. Delatus ad Quæsitores liber, nigra inuritur nota. Instabant amici Borgiæ ut bibliopolarum aperiret fraudem, ac defensione justa levaret invidiam. Neglexit : apponens lucro, quidquid ad sui contemptum quoquo modo pertineret.

In Borgiam iniqua fama spargitur.

Crevit inde animus adversariis et audacia. Palam jactatur, non tantum infectus hæresi, verum etiam hæreticorum patronus et fautor : quippe qui familiariter esset usus Dominico Rosas, ob hæresim exusto; necnon Bartholomæo Carranza, Toletano Archiepiscopo, diu in vinculis propter suspicionem hæreseos habito. De Dominico Rosas facilis erat purgatio. Nam eo quidem amico usum se esse Borgia fatebatur, sed cum adhuc vitæ fideique esset minime suspectæ. At Carranzæ causam aperte defendebat, et egregii Antistitis innocentiam sibi exploratam esse testabatur : idemque cum Borgia optimus quisque et doctissimus sentiebat. Cum nulla ex utroque isto capite ad Borgiam accusandum satis magna opportunitas ejus inimicis præberetur; eo devenerunt, ut illum tamquam regni hostem insectarentur aulici præsertim nonnulli proceresque. Non placebat illis vir tam amicus Regi; apud quem, ne primum sensim favoris locum occuparet, misere formidabant. Quidquid, Philippo absente, parum feliciter gestum dicebatur, dum Hispaniam administrabat Joanna ejus soror, cujus pietatem regebat Borgia, id illo factum auctore narrabatur. Quin ejus clandestina cum regni hostibus consilia litteræque proferebantur. Accessit ad hæc mala privatus quidam dolor : P. Antonius Araozius provinciæ Præpositus querebatur, gubernationem suam a Borgia interturbari. Hic vicissim Araozium incusabat ut nimis aulæ deditum.

Deus sanctorum suorum virtutem rebus adversis probare solitus, eamdem vulgo, postquam probavit, illustrat. Cum publica Borgiam et domestica premeret invidia, cum nihil propius faciendum videretur, quam ut conjiceretur in carcerem, et pœnas tamquam hæreticus et regni hostis convictus, daret: Pius IV Summus Pontifex eum ad sese perhonorificis litteris evocavit. Narrabat, *se cognovisse de fideli ac strenuo ejus ministerio; ejus vitæ ac honorum operum odorem late fragrare; necessariam sibi esse fidelium Christi servorum in Urbe copiam; gratissimum sibi fore illius adventum, cunctisque Patribus, qui Romæ versarentur.* Lainio quidem certe, Præposito Generali, optatissimus erat, ut exortos in Hispaniam propter illum, quamvis insontem, tumultus ejus absentia sedaret. Eumdem adesse Romæ peroptabat Cardinalis Ferrariensis, Borgiæ propinquus, ut viri prudentissimi sententiam de gravissimis quibusdam negotiis exquireret. Huc adde Providentiam Numinis virum sanctum gubernandæ post Lainium Societati paulatim admoventis. Antequam iter capesseret, eum amici perpulerunt, ut apud Philippum Regem purgaret se de objectis, contra debitam Principi suo fidem, criminibus. Jam enim ejus silentium pro tacita confessione accipiebatur, et in multorum innocentium perniciem redundabat. Fecit accuratissimis litteris quod rogabatur, et Romam versus iter intendit.

A Pontifice Romam vocatur Borgia.

Commissarii munus extinguit Lainius.

Commissarii munus in Hispania gerebat Borgia (sic vocabantur quidam e nostris quasi Visitatores perpetui); nullum Borgiæ Romam venienti subrogavit Lainius, qui Commissarii munere fungeretur, eaque occasione usus est ad abrogandum istud Commissarii nomen et munus in Societate. Necessarium initio visum fuerat, præsertim in Hispania, unde, infestis impeditisque Italico, et Gallico bello itineribus atque abrupto commercio, nullæ vel seræ in Urbem litteræ perferebantur. Itaque Præpositi Generalis vice quodammodo Commissarius fungebatur. Postea nomen istud et munus Commissariorum mutatum fuit in Visitatores temporarios, quo Provincias inspecturi, cum esset opus, ita mitterentur, ut Provincialibus et Rectoribus sua integra maneret auctoritas, quam labefactari sæpe et infringi per Commissarios querebantur.

Actum fuit de Lainio ad Pontificatum evehendo.

Appulsus Romam Borgia audivit non sine voluptate, quemadmodum Lainius supremi honoris periculum effugisset. Sacri Collegii Patres ad subrogandum Paulo IV successorem discrepantibus divisi sententiis, rem in longum ducebant. Exosi moram duodecim ex illis, de P. Lainio ad solium Pontificium evehendo consenserunt; id quod Otho Cardinalis Augustanus, post Lainii obitum, pro concione dixit, cum illi magnificis exequiis Dilingæ parentandum curavit. Statim atque Lainius, quid ageretur intellexit, totus cohorruit, et e Cardinalium consessu, ad quos vocatus fuerat, trepide

se subduxit. Hic metus honoris, et similis fugæ discessus, rationes Patrum conturbavit. eosque incœpto desistere coëgit. Idem Lainius eodem religiosæ humilitatis ductus studio, munus et locum Præpositi Generalis deponere sedulo laboravit : convocatisque Assistentibus multa dixit in hanc sententiam, iisque suum approbare consilium studuit. Reclamarunt acriter universi, negaruntque fas esse Præpositis Generalibus onus ipsis a tota Societate impositum abjicere, ob gravia quæ inde sequerentur incommoda : quæ libro V. Partis II. Historiæ Societatis fusius explicantur *.

* *Num.* 123, *et seq.*

P. Pius IV Societate ad varia opera utitur, Romæ,

Pius IV, Paulo IV suffectus, editum ab antecessore suo Indicem librorum prohibitorum, in quo multi nimiam severitatem querebantur, a Lainio præter ceteros Theologos huic negotio præpositos, recognosci jussit; eodemque suggerente multa in publicam rem constituit : ac præcipue singularia certamina interdixit, gravissimasque pœnas tum certantibus, tum liberum præbentibus campum in hæc certamina, et certantium patronis proposuit. Cardinalis quoque Sabellus, Pii IV in Urbe Vicarius, certos e Sociis præfecit iis examinandis, qui Sacerdotio forent initiandi. Patres, quo tam grave negotium consideratius administrarent, formulam confecere, cujus e capitibus examen istud ac periclitatio institueretur. Hanc summe probavit Cardinalis, ex eaque magnæ sunt utilitates consecutæ. Cum enim intellectum fuit, quanta

integritate istud examen administraretur; multos ne accederent, conscientia suæ imbecillitatis, et inscitiæ pudor absterruit; multi ad pietatis ac litterarum studia, quo digniores fierent, animum appulere; ac demum urbibus aliis datum exemplum est, Antistitesque non pauci Romanam in explorandis candidatorum Sacerdotii dotibus diligentiam sunt æmulati. Idem Pontificis Vicarius Societatem ad inspiciendas ædes Romæ sacras, ad regenda Virginum monasteria juvandaque adhibuit. Præterea sibi a Sociis voluit indicari, quæcumque censerent ad fovendam, augendamque in urbe pietatem, ac mores emendandos opportuna. Quod cum fecissent, earum rerum, quas adnotaverant, præcipuam quamque initio, postea reliquas promulgari observariqué jussit.

Eodem auctore Socii varias Romani agri partes excoluerunt, hoc anno et sequenti. Procursum ab aliis in remotiores Italiæ plagas, præsertim in
in Calabria, Calabriam. Eruperat impius hæreticorum circa Consentiam et Montem-Altum furor. Non contenti latebris, imo impunitatem armis et numero extorqueri posse rati, prodierant instructo agmine, et ad erroris insaniam, latrocinii publici crudelitatem adjecerant. In vinculis conjecti circiter mille sexcenti fuerunt, quos ad meritum supplicium præparandos suscepere Patres; et ceteros, qui pœnæ metu territi in oppida redierant, ab impietate deducendos.

Non tam aperte grassabantur novatores in Samnio, et Apennini jugis; nec minus tamen periculose maxime in oppido Vulturaria, quo profugerant e subalpinis vallibus, unde erant ante aliquot annos pulsi. Valdensium errores hîc profitebantur, lutheranis admistos : neque illos cuilibet passim, ac ne suis quidem ante annum ætatis quartum decimum aperiebant, ne quid indicii per simplicitatem puerorum emanaret. Arcessebantur identidem impiæ magistri novitatis, qui nomine ac professione medicorum occultati, dum se fingebant mederi corporibus, exitium animis afferebant. Pars populi magna ritus catholicos usurpans specie ac verbo tenus, nefandis sacrilegiis mysteria Sanctissima violabat. Nonnulla tanti mali vestigia fuerant deprehensa paucis ante annis ; et submissi concionatores ab Urbe Neapolitana quosdam erroribus pestiferis liberaverant. Per istos cognita scelera reliquorum sunt, et a Romanis sacræ Fidei Quæsitoribus pars damnati ad triremes, pars Romam ad supplicium deportati. Sed ita fere fit, ut obstinatos animos non mutet pœnæ metus, ut potius in pertinacia confirmet. Itaque ceteri, quibus opiniones pestiferas recantantibus data venia fuerat, eas nihilo fovebant remissius; sed callidius tegebant. Quare visum est Cardinali Alexandrino et sacris Quæsitoribus, alia tentare remedia. Delectus P. Christophorus Rodericius, cum aliquot Sociis, pervicaces animos prudentia, et comitate fregit. in Samnio,

Cum viveret parce ac duriter, nihil a quoquam acciperet, amplissimam ac præsentem resipiscentibus veniam offerret, severitatem ostentaret eminus; errorum pericula, falsitatemque cominus demonstraret; negotium difficile, Deo aspirante, confecit e sententia. Jussus inde a Congregatione S. Inquisitionis idem præstare in aliquot regni Neapolitani oppidis; rem pari felicitate atque industria gessit. Facere tamen non potuit, quin odia malevolorum in se concitaret, a quibus apud Neapolitanum Proregem graviter est accusatus. Prorex ubi virtutem hominis cognovit, et qua potestate, quaque ratione munus impositum administraret, non modo remisit incolumem, sed amplissimo etiam diplomate laudavit.

Annecii, Iisdem artibus integritatem Fidei ardoremque pietatis inter Allobroges tueri pergebat P. Ludovicus Codrettus. Annecii maxime morabatur, quæ Genevensis Episcopi sedes est, postquam Calviniani Genevam occuparunt. Fœda regionis et miseranda facies. Ingens contemptus sacrorum rituum et sacerdotum : audacia dicendi sentiendique in infimo quoque capite non tolerabilis. Codrettus urbem obire vicatim, agros pagatim lustrare; bis terve interdum sæpius in die concionari; nonnunquam sub dio, ut esset concurrenti multitudini locus. Aberat Episcopus Anneciensis, quem gravia negotia Romæ detinebant. Vicarius et Canonici Codrettum rogarunt, ut suffraganei locum accipe-

ret. Abnuit Christi famulus, tam fugitans honoris, quam laboris appetens; ac propere Lainium admonuit, ne quid se invito tentaretur. Ipse, quo speciosum periculum certius effugeret, alio se contulit, relictis Annecii quibusdam Sociis, qui bene cœpta promoverent.

Longius ab Italia procursum est in Cyprum insulam, cum novo ejus Archiepiscopo Philippo Mocenico : quem e nostris duo comitati sunt. Sperabat Societas, aditum aperiri aliquem et ostium posse ad Ecclesias Orientis juvandas, quo Ignatii et primorum ejus sodalium vota olim spectaverant, et ea mente Julius III collegii in Cypro condendi potestatem fecerat. Româ profecti Socii septimo cal. sextiles, navim conscenderunt sexto Idus, et omnes qui una vehebantur, ita paulatim instituerunt, ut navis simillima cœnobio videretur. Insulam offenderunt vitiis, schismate, superstitione, miserum in modum deformatam, per absentiam pastorum, quos annis septuaginta, ut aiebant, nullos ædes primaria vidisset. Eo novi Archiepiscopi gratior bonis adventus accidit. Jamque ipso duce manum operi Patres admoverant, cum ad Concilium Tridentinum evocatus, illos secum revexit in Italiam : simul concidit collegii spes; insula decem post annis in Turcarum potestatem venit. in Cypro insula,

Certior Epidauri in Dalmatia spes offerebat sese. Nicolaus Bobadilla, post datos aliquot Jaderensi Ecclesiæ et Archiepiscopo dies, Epidaurum, in Dalmatia.

uti fuerat ab ejus Reipublicæ Antistite rogatus, accessit. Illius auditis concionibus, et proximos juvandi ratione ac dexteritate perspecta, collegium Societatis condere communi consilio Respublica decrevit, ac Socios a Lainio poposcit. Dati tres initio. Alii deinde, longo tamen intervallo, sunt secuti.

Collegia in Valle Tellina,

Idem Bobadilla profectus anno superiore in Vallem Tellinam, seu Volturrenam, nullique parcens labori magnum Societatis vocandæ desiderium exciverat; missique sunt sex sacerdotes ad collegium inchoandum, cui ponendo eques Antonius Quadrius, cum liberis careret, rem suam familiarem donaverat. Sed Rhæti (Grisones modo dicti) Lutheri asseclæ, catholicorum vota, spesque pulcherrimas indignissime fefellerunt; disturbatum publico decreto negotium est. Patres ejecti Valle, tamquam capitales novi Evangelii hostes, Comum, seu novum Comum se receperunt, urbem in Ducatu Mediolanensi amplam, et Volturrenæ Valli propinquam, quæ Societatem jamdiu expectabat. Adfuerunt pulsi a Rhætis Patres, quasi a Divina vocati Providentia; quæ et illis paraverat in Comensium humanitate perfugium, et Comensibus ac vicinis Tellinæ Vallis catholicis, destinaverat ex hæreticorum inhumanitate præsidium.

Novocomi,

Dum unam in Vallem aditum hæresis intercludit, eumdem in subalpinas complures Emmanuelis Philiberti, Pedemontii Principis, ac Ducis Sabaudiæ pietas reclusit. Venerat ad illum

P. Antonius Possevinus, negotii cujusdam domestici componendi causa; utque singulari prudentia præditus, ac duci bene notus erat, illi plurima suggessit religionis retinendæ in Alpinis vallibus et confirmandæ præsidia. Dux postulavit collegium Societatis, quo regionem contra insidias erroris muniret. Cives Montis-regalis, (Mondovium vulgo appellant) ut apud se poneretur, institerunt. Est ea civitas Ducum sepulcris nobilis, et Episcopi sedes. Doceri cœptum anno MDLXI, confluente ad discendum numerosa e Subalpinis oppidis juventute. Monte-regali,

Quam Tusculani Sedem in civitate sua Sociis obtulerant, eo libentius accepta est quod locus fruatur salubri admodum cœlo, et in conspectu Romæ sit; atque adeo peropportunus recreandis nostrorum, et animis labore litterario, et corporibus morbo fessis. Tusculanum,

Plus negotio fuit in constituendo Apamiensi collegio Pamiæ, sive Apamiæ: oppidum est Comitatus Fuxensis, in Occitania. Robertus Pellevæus, hujus urbis Episcopus, cum PP. Paschasio Broëto, et Pontio Gogordano, Parisiis egerat, de tradendo Societati collegio urbano, idque a civibus facile impetratum iri promiserat. Lecti fuerant, anno MDLIX, egregii tres viri Joannes Pelletarius, Edmundus Augerius, et Joannes Rogerius, qui collegii ponerent initia. Ut venêre, faciem civitatis longe aliam ac descripserat Episcopus reperiunt. Hæretici, qui plurimum tunc in urbe poterant, Apamiense.

vociferantur, nihil sibi cum nostris hominibus rei unquam fore; vixque passi sunt illos in angusto tugurio consistere. At Socii, nequaquam ejusmodi minis et incommodis deterriti, cœlestem eloquentiam, cujus principes in Gallia Pelletarius et Augerius erant, explicare palam cœperunt; et conciliatis brevi Catholicis, hæreticis vero partim mitigatis, partim repressis, domum satis amplam conducunt, in eoque pietatem ac bonas artes docere, adhibito quicumque Christianas commendare litteras potest, apparatu ac splendore, aggrediuntur. Augerius luculentum carmen scripsit, quod ubi a discipulis ad declamandum egregie institutis recitatum fuit, laudes etiam hæreticorum expressit. Admirationem vero magnam habuit, non modo civium, sed finitimorum quoque, producta in scenam fabula, et acta summo plausu, prorsus ut nihil moræ jam esset, quominus collegii possessionem adirent Patres: nisi per magistratus hæreticos, aut patronos hæreticorum stetisset, tanto ad negandum pertinaciores, quanto minus causæ videbant esse, cur negarent. Hæc absente gerebantur Episcopo, qui postquam rescivit, quid agerent Patres, quid paterentur, moleste rem sane tulit: utque essent ab hæreticorum insidiis, et armis tutiores, eos, ducentosque circiter discipulos, e conducta domo in suis ipsius ædibus collocavit; denique, Collegii urbani causa in jus et forum deducta, perfecit, ut illud Societati traderetur.

Molestissime successum hunc tulerant hostes religionis, quibus jam deliberatum erat illam armis, si possent, in regno Christianissimo funditus exscindere. Nihil urebat illos acrius, quam quod Pelletarius de laudibus Sanctissimæ Dei Matris verba sæpe faceret. Hinc illi præclarum cognomen, ut *Deiparæ laudator* vocaretur. Ergo scelerati prægrandem Virginis statuam e publico urbis loco, ubi proposita pie colebatur a prætereuntibus, deturbant, raptant vicatim, et in foro venalem per ludibrium statuunt. Exarsit justa iracundia Pelletarius, et catholicorum, quos apposita oratione inflammaverat, consensu numeroque fretus, pergit in forum, tota ferme civitate prosequente, ereptamque manibus impiis sacram effigiem, acclamante populo et Virginem velut in triumpho deducente, pristinum in locum reposuit. Fractus hac populi fidelis alacritate furor improborum obticuit. Pelletarii et Codretti fortitudo.

Quod in Aquitania Pelletarius, hoc in variis Galliæ partibus præstabat Ludovicus Codrettus, ubi religionem pari constantia curaque defendit. Re inter Allobroges bene gesta, contulit se ad Episcopum Lodevensem, a quo arcessebatur: cumque illius diœcesi navasset fidele studium, complura Narbonensis tractus oppida, Massiliam, Aquas Sextias, Caballionem, Carpentoractum, Avenionem, Apostolica sedulitate lustravit. Avenione paulo diutius consedit, retentus a Prolegato; et constitit pretium moræ. Non modo consueta

vitiosis moribus allata remedia; verum etiam patefactæ fraudes impiorum, dubitatio multis adempta, compressa disputandi legendique curiositas, in exitium præceps. Itaque cum per idem tempus Calviniani furoris flamma, cineri doloso hactenus velut supposita, in apertum erupisset incendium, facillime restincta fuit. Sed cum Delphinatum et Provinciam eadem feralis flamma depasceret, eo procurrit Codrettus, et salutares Verbi Divini aquas illi extinguendæ circumtulit. Quanta bonæ causæ virtutisque fiducia est! Constiterat Ebreduni medios inter hostes pietatis. Suadebant amici, ut mutata veste, dissimularet se catholicum esse Sacerdotem, quo facilius eorum manus effugeret. Ille, perspecto civitatis et religionis periculo, discrimen manifestum sui capitis nihili esse duxit. Quin majori contentione vocem tollens, et Evangelicam pleniore spiritu inflans tubam, ad catholica vexilla omnes palam vocavit. Quocumque pedem ferebat, dari jubebat signum concionis, et sera licet nocte, verba faciebat. Obstrepebat aliquando vesana plebs, intentabat minas, e templo digredientem sibilis, infestisque clamoribus prosequebatur : nihilo segnius pergebat, satis gnarus, numquam uberiorem esse messem, quam cum hyems asperior mandata terræ semina diu pressit. Adversarios exarmavit hominis constantia. Erroris præco Ebredunum subire pridem gestiens, accedere ausus non est.

Augerius, et Collegium Turnoniense.

Non leviora ingentis animi documenta, et singularis eloquentiæ dabat Edmundus Augerius: qui sacras Fuxi conciones cum haberet, tanto ardore invectus est in corruptores divini verbi, ut omnis populus, sublato inter lacrymas clamore, Calvinum ejusque inventa impia detestaretur. Eosdem animorum excivit motus Turnonii, quam in urbem fuerat accitus ad collegium accipiendum, olim fundatum a Cardinali Turnonio, et opimis instructum vestigalibus. Operam dederat Cardinalis sapientissimus, ut litterarum magistros nanciscerentur probitate non minus, quam doctrina præstantes. Sed præterquam quod illi non valde multi vulgo sunt; erant etiam ea tempestate rariores, cum puros doctrinæ fontes hæresis infecisset. Eorum porro, quos hæc pestis inquinaverat, cautio prima et industria in eo versabatur, ut virus suum occultarent. Per hanc nefariam dissimulationem irrepsisse suam in academiam cognovit Cardinalis lupos, agnorum tectos exuviis, et loco magistrorum juventutis, parricidas. Angebatur animo; neve in aliorum, quos illis substitueret, delectu pariter falleretur, metuebat: donec auctor illi fuit Vincentius Laureus, quem habebat in comitatu, Episcopus postea Montis Regalis, ac demum Romana ornatus purpura, ut collegii administrationem ac delectum professorum, Patribus Societatis permitteret. Probavit consilium et ea de re continuo litteras ad Præpositum Generalem So-

cietatis dedit *. Nec distulit Lainius viros idoneos mittere, qui anno MDLXI quinto Nonas Maias, collegii possessionem inierunt.

* *Cal. Octob. anno* 1560.

Parisiensis Collegii laboriosa incrementa.

Non minus aperte oppugnabatur collegium Parisinum, et a novæ doctrinæ studiosis, et a catholicis quibusdam Societatem ignorantibus, aut tamquam suis commodis adversantem respuentibus. Utrique omni contentione pugnabant, ut ne Sociis jus naturalis ortus ac docendi publice potestas in hac urbe regni primaria tribueretur. Iis tamen invitis licet ac repugnantibus, confecta res fuisset, collegiumque Parisiis constitutum, nisi luctuosus et immaturus Henrici II obitus amica Societati consilia optimi Principis intervertisset. Ejus filii et successoris Francisci II tenera ætas, imbecilla valetudo, interitus proxime consecutus, spem fere omnem abstulit negotii conficiendi. Eum supplices adierant Socii Parisini, et oraverant, ut rata per senatum juberet esse diplomata parentis sui Henrici II in gratiam Societatis condita. Sponte annuerat, nec tantum concesserat, ut in Parisina civitate consistere ac docere fas esset Societati, verum in toto, quam late patebat, regno. Erant litteræ Ordini nostro perhonorificæ, datæ pridie Idus Febr. an. MDLX. Accurrit ad Regem supplex Senatus, et Sorbonæ Decretum nobis adversum, sententiam Parisini antistitis, novitatem nostram, privilegiorum amplitudinem, objecit. Rex omnibus, quæ objiciebantur, expensis, rursum aliud

edidit septimo Calendas Maias diploma : rursum Senatores et vehementius intercessere: ipsius, ut aiebant, Regis et regni causa, cui periculum ingens et magna detrimenta per hunc novum Ordinem importanda conclamabant. Pertinacia offensus Rex, tertiis demum litteris, septimo Idus Octobres ejusdem anni conscriptis edixit, ut nihil præterea moræ suis edictis opponeretur. Addidit necessaria esse juventuti erudiendæ collegia, quo tempore illam depravare Lutherana pestis et Calviniana conabatur. Dum cunctatur Senatus, dum novas evertendi negotii vias excogitat, Rex evita cessit*. **pridie Non. Dec.* 1560.

Magnum catholicis non solum in Gallia, sed etiam in Scotia dolorem obitus ejus attulit. Mariam enim Stuartam, Scotiæ reginam duxerat Gallorum Rex Franciscus II; unde spes ingens affulgebat constituendæ in Scotia antiquæ religionis. Nec minorem luctum incessit Hibernis, qui e Gallorum affinitate ac patrocinio remedium aliquod laboranti patriæ afferendum sperabant. Quippe mortuo Henrico VIII ejusque filio Eduardo, cum Angliæ regnum ad Mariam pervenisset, emerserat quidem paulisper ex angustiis superiorum temporum catholica religio: sed Maria paucis post annis extinctâ, in pristinas atque adeo graviores ærumnas, Elisabetha dominante, reciderat. Cardinalis Joannes Moronus, ut Hiberniam, cujus patronus erat, in avita veræ Fidei professione conservaret, egit cum Summo Pontifice, ut Lainius virum huic

In Hiberniam P. Wolfius mittitur.

idoneum operi nominaret. Visus est aptissimus P. David Wolfius, Hibernus, et gentis ac locorum peritus; tum in Evangelicis expeditionibus diu multumque exercitatus. Hunc in Urbem accitum Pontifex Episcopum creare statuerat, mox Apostolici Nuntii insignibus ornare. Deprecatus utrumque Wolfius, Nuntii potestatem sane omnem accepit; insignibus et ornamentis abstinuit : quo liberius ac minori cum invidia suum obire munus posset. Ita instructus, in viam se dedit XI Cal. Septembres, et anno sequente Corchum attigit XIII Cal. Februarias. Exceptus mira catholicorum gratulatione, aliquot ibi dies substitit, quam maxime potuit ignotus hæreticis et occultus. Venerunt suppetias, quadriennio post, Socii duo in Hiberniam cum Episcopo Armacano profecti.

Goæ novum templum S.to Paulo dicatur;

Ut P. Wolfius inter hetorodoxos in Europa, sic Societas inter ethnicos in India rem Christianam strenue promovebat. Novum ac peramplum templum Goani collegii loco veteris et angusti ædificatum est insigni magnificentia, et Doctori Gentium dedicatum, quo die illius conversionem Ecclesia recolit. Patriarcha aureo ligone auspicatus est opus, et primarium in fundamenta lapidem dejecit, in quo insculpta Crux visebatur; alterum Prorex, in quo incisa imago gladii; ut intelligeretur scilicet Catholicam Fidem et cruce propagari a sacris potestatibus, et ferro a regibus defendi. Præsentior, quam annis superioribus cœlestis gratiæ

vis eluxit in convertendis ad Christum indigenis, quasi Doctoris gentium patrocinio conciliata. Goani cujusdam suburbii primores ethnici, cum tantam ad Christianos ritus accessionem moleste ferrent, collatis capitibus et consiliis, quæsivere quid opus facto foret? multis multa suadentibus, senior quispiam : censeo, inquit, ut Christo nomen omnes demus. Ea voce, tamquam signo dato, adsurrexere cæteri, et gregatim ad sacrum fontem convolarunt. Celeberrimus omnium circa Goam pagorum, cui nomen Auxinus, ethnicis refertus, in Christi jura ditionemque similiter totus transiit. E regione hujus pagi est insula Divaris, ad quam populus e remotissimis oppidis solebat peregrinari, religionis ergo. Celebritatem loco faciebat Canissum idolum, elephantino capite, reliqua corpore humano, ridiculum numen. Cum plurimi Brachmanes eum in locum, die quodam festo, convenissent; Goam uno agmine perrexerunt, virides manu ramos, serta capite gestantes, inter festos tympanorum fistularumque strepitus, et baptismum oraverunt. Tantus denique ad Christiana sacra concursus undique est factus, ut Sociis in pagos insulasque dimissis, vacuum prope collegium remanserit. Reliquam ex eo messem æstimare licet: quod in agro circa Goam fuso, nec ita magno, duodecim millia nongenti sexaginta septem hoc anno MDLX ad ecclesiam per sacramentum regenerationis aggregata fuerint.

Multorum inde ad Fidem conversio.

Plurimum admirationis et ad illustrandam religionem ponderis habuit Joguis celeberrimi ad eam accessus. Jogues Indi vocant religiosorum hominum genus, idque duplex. Alii quippe degunt in urbibus, et popello suas venditant fabulas; alii abdunt se in solitudinem, ibique Divinis, ut jactant, rebus contemplandis vacant, ac numinum colloquio fruuntur. Ex hoc genere Jogues in Angedivæ (prope Comorinum apicem) insulæ specu octo annis inclusus, tantam sanctitatis opinionem collegerat, ut ad eum visendum ex ultima India populus concurreret. Is ex antro suo cum invitatus a Prorege venisset Goam, disputandi gratia et cognoscendæ veritatis, a P. Francisco Rodericio convictus, ac demum baptizatus, adeo Seminarii Goani disciplinam adamavit, ut claudere vitam in eo voluerit. Non leve ejusdem Seminarii decus erat Princeps adolescens, traditus in Patrum disciplinam a Soloris insulæ Rege, qui hunc fratris sui filium, quoniam ipse liberis carebat, Goam miserat, ut probe institutus, magistri locum inter populares obtinere suos aliquando posset. Ejusmodi magistris indigenis, et plus auctoritatis inerat, et minus invidiæ, qua Sacerdotes Europæi, et peregrini vulgo laborabant; ut patuit cum sæpe alias, tum vero in P. Joanne Mesquita, qui Badagos infesto ruentes agmine fugiens, dum in Ceylani littus e Manaria parat evadere, comprehensus, et octo plagis laniatus ad regem Badagarum, cum

P. Mesquita dure habitus, liberatur.

aliquot Lusitanis, pariter captis, protractus est, totus sanguine diffluens, et viribus ita defectus, ut ad ejus pedes linquente animo conciderit. Obligata sunt vulnera tyranni jussu, metuentis ne speratam pro redimendis captivis pecuniam, eo mortuo, amitteret. De illa continuo agi cœptum, conventumque ut pro universis communiter septem aureorum nummûm millia et quingenti certa die numerarentur. Dimissis Lusitanis, Mesquita pro obside ac pignore in custodia retinetur. Cum autem seriùs irrogata pecunia repræsentaretur, furens barbarus obsidem suum oneravit ferro; mox catenam e collo ad pedes produxit adeo brevem, ut dies noctesque incurvus, et velut in globum contractus, cogeretur esse. Barbari crudelitatem callidus elusit adolescens christianus, Michaël nomine. Is non modica mercede cum fabro ferrario egit, ut ferreis compedibus Mesquitam liberaret: qui, procul dubio, ducente quodam Cœlesti spiritu, evasit inter milites armatos, ac demum per sexcenta pericula incolumis ad Lusitanorum stationem pervenit.

Prima sedes in Salsettis,

In Salsettis: sic appellant terræ tractum Goæ vicinum, sex et sexaginta pagos complectentem, id quod ipsa vox Salsettarum lingua gentis sonat; et eodem nomine vocatur exigua prope Bazainum insula, ubi oppidum Tanaa. In Goanis igitur Salsettis, anno MDLX primam stationem Societas fixit. In sex et sexaginta pagis, quos illic numerari

diximus, Christiani degebant milleni circiter, ethnicis misti, et cultoribus destituti. Hanc vineam Goani Patres sibi colendam sumpserunt. In urbe Bazaino non procul Goa, fuerat olim celebre balneum, cujus aquâ ethnici non tam corporum, quam animorum maculas elui affirmabant. Ibi templum Sanctæ Cruci dedicatum fallacis balnei religionem aboleverat. Hanc ethnicorum sacrificuli transtulerant ad vicinum stagnum, edixerantque, scelerum noxa omnique pœna liberandum, qui certo die corpus illic ablueret. Imo unus e populo quotannis ex arbore prælta se in stagnum sponte præcipitans, quasi pro salute publica devovebatur. Socii, manu militum a Præfecto urbis impetrata, quo die impium fiebat sacrum, multitudinem in fugam conjecerant, fanisque disturbatis, et simulacris comminutis, postremo stagnum injectis vaccæ intestinis, (quod piaculum apud ethnicos Indos inexpiabile est), contaminarunt.

et excursio in Suratam.

Suratam, in eodem Cambaiano sinu emporium celebre, procurrit anno sequenti P. Marcus Prancudus, ab oppidi arcisque gubernatore arcessitus; qui licet coactus fuerit fateri, vera esse, quæ audiebat a præcone Christianæ legis, ne tamen obediret Evangelio retardatus est Mahometanorum metu, quorum opes ibi auctoritasque præcipua. Ex illis ipsis octoginta fuerunt ad Christum adducti; qui numerus, ut est gentis pertinacia, ingentis lucri et victoriæ loco censeri debet.

Annus Christi 1561 : Societatis 22.

Non leviores de hæreticis victorias, nec minus periculosas P. Pelletarius in Gallia reportabat : Tolosæ præsertim, ubi vehementius eos exagitabat; simulque Catholicos verbo et exemplo confirmans, sustinebat labantes, lapsos erigebat. Disrumpebatur impiorum factio, nec tamen propter notam civitatis pietatem, palam sævire audebant in magnanimum veritatis defensorem : citius et minore sua invidia illum extingui veneno posse putaverunt. Obtulere per ignotas manus poma toxico præsentissimo imbuta, mortemque muneri miscuerunt. Detecta fraus est. Servatus Dei benignitate Pelletarius vitam ac salutem sempiternam iis afferre perrexit, qui necem illi consciscere quotidie tentabant. Restitit aliquandiu, mori non reformidans, et civium defensus charitate, qui non tantum excubiis, verum etiam laterum suorum opposito, hominem publicæ saluti devotum tuebantur. Ægre a Tolosanis dimissus, relicto sui, et collegii aliquando fundandi summo desiderio, Apamias recurrit, ubi religionem novis objectam periculis audierat. Imminebant pacis ac pietatis hostes in omnem urbis occupandæ occasionem : sed gregem ut facilius mactarent, pastores antea perdendos pellendosve censuerant. Ergo immissis * in urbem equitibus in Pelletarium irruunt. Æger jacebat et fractus labore concionandi, atque

P. Pelletarii mors, pluries intentata.

*15 *Cal. jun.*

adeo dolore tot scelerum. Avellunt e strato moribundum, onerant vinculis, et vicinum in oppidum protrahunt. Illis tamen ereptus ope catholicorum, vinculis solvitur ac Tolosam reducitur, ubi receptam libertatem, ad frangenda multorum qui novis opinionibus implicati tenebantur vincula, feliciter contulit. Nec Tolosæ solum, sed etiam in reliquis Aquitaniæ urbibus, quas hæreseos pestis afflaverat, catholicæ doctrinæ antidotum tanto successu adhibuit, ut per eum et alios Societatis homines conservata potissimum in illis partibus religionis integritas, jure ac merito prædicetur. Cadurcenses quidem certe, cum ex edicto regio tres nominarent, e quibus demortuo Episcopo Cadurcensi successor legeretur, primum omnium
* *anno* 1563. Pelletarium nominarunt *. Ille, humilitatis, quam profitetur Societas, et voti sui memor, civitatis optimæ vota elusit. Negotium etiam disturbabant, qui ne haberent eum præsulem formidabant, a quo etiannum privato tam multas sibi clades illatas dolebant. Ut vero in perpetuum isto se metu liberarent, fregerunt ejus valetudinem, lento, ut fama fuit, toxico, et vires paulatim debilitarunt, quibus demum attritis et exhaustis, contabuit, ac
* *anno* 1564. supremum diem triennio post pie clausit Tolosæ *.

Edmundus Augerius,

Diutius fuit superstes ad multorum utilitatem P. Edmundus Augerius. Theologiam in recenti collegio Turnonensi, et quæstiones Fide apud hæreticos controversas, explicans, simul in templo

de rebus divinis disserebat, tanta populi frequentia, quantam ne senes quidem in ea urbe memirant. Valentiam vicinum oppidum ea fama pervasit. Oratus enixe a civibus, ut verba per sacros Dominici adventus dies faceret, venit; ac viva vox, cum primum est auditus, famæ vocem superavit. Virum præ ceteris primarium (id quod exemplo plurimis fuit,) Ecclesiæ sanctæ restituit. Hæreticum vero declamatorem, qui sua populo somnia dividebat, ita conturbavit, ut ab omnibus destitutus, clanculum Valentia diffugerit. Sed Turnonium deserere Societas vicissim coacta est. et Collegium Turnonense
In hanc urbem impetu facto perduelles denuntiant gubernatori ferrum, ignem, vastitatem, nisi Jesuitas, actutum ejiciat, oppidumque cum arce, Hugonottis (ita tum calviniani vocabantur,) tradat. Gubernator Societati peramicus, nec religionis vetustæ minus studiosus, cujus retineri possessionem aliquam posse sperabat; si paulum tempori cederet: perdendam omnino si frustra resisteret, Patres, quid sit opus facto, consulit. Responde- graviter periclitantur.
runt se paratos pro grege carissimo et catholica Fide mori : neque deserturos in supremo belli periculo, quos excolendos pacis tempore suscepissent. Laudavit constantiam gubernator; at simul considerare jussit ipsos nec sibi, nec aliis, manendo posse opem ullam afferre : imo et sibi et oppidanis omnibus exitio futuros; urbem resistendo non esse; impetum facturos hostes primo

in collegium, deinde cædibus, et rapinis omnia fœdaturos. His rationibus victi recessere: sapiens gubernatoris consilium exitus approbavit. Nihil damni ædibus illatum, nihil templo collegii, quod pulsis anno MDLXIII hæreticis restitutum Societati fuit ita intactum, tamquam si sub custode diligenti fuisset, quamvis reliquo in oppido tetra exstarent vestigia Calvinianæ immanitatis.

Tirnavia deseritur.

Durior conditio fuit collegii Tirnaviensis. Strigonium ab aliquot annis Turcæ invaserant, et Archiepiscopi Strigoniensis sedes Tirnaviæ, in Hungaria superiori, et Austriaca ditione fuerat collocata. Ibi Nicolaus Olahus, Antistes collegium moliebatur, et ei Societatem præficere statuerat. Venere tres e nostris exeunte Aprili. Consecuta sunt tempora longe difficillima. Redintegrato a Turcis bello vectigal amissum : exorto in urbe incendio, ædes Societatis cum plerisque aliis perierunt. Accesserunt graves ab hæreticis molestiæ. Quæ omnia dimittendi collegii necessitatem attulere, dolente graviter Archiepiscopo, et restituendi operis spem ad meliora tempora reservante. Hæc demum oblata est anno MDCXV *.

* *Hist. S. J. parte V. lib. 15. n.° 31.*

Collegium OEniponenti,

Collegium OEnipontanum Imperator et ejus filiæ vehementer expetierunt; nec minore studio illud accepit ipsa civitas, ac deinceps auxit, tanto dignior isto præsidio, quanto semper fuit in retinenda Fide catholica constantior. OEnipontanos certe, ac Bavaros, Canisius comparare solitus erat

tribubus Judæ et Benjamin, quæ solæ a Domino non desciverant. At Moguntinis necessarium prorsus erat aliquod præsidium, ob grave periculum quod urbi clarissimæ tum ab intestinis, tum ab externis et circumstantibus imminebat hæreticis. Sane ubi primum Daniel Brendelius, Præsul vigilantissimus, Sociis habitandam domum paravit, affixi fuerunt publice libelli, quibus monebantur cives, ut sibi caverent ab hominibus, qui per nomen instituendæ juventutis, civitatem depravandam invaderent. Perstitit in sententia Præsul; et conciliandis animis adeo præsens et conspicua Dei benignitas adfuit, ut summa omnium voluntate accepta denique Societas fuerit. Non parum adjuvit P. Lamberti Averi, qui primus collegio præfuit, eloquentia, pietas et prudentia. Eum Commendonus, postea Cardinalis, in sua ad Cæsarem et Protestantes Principes legatione, secum duxerat, nempe in tractandis questionibus de religione controversis exercitatissimum; a quo Protestantium theologos in eas sæpe angustias redactos testatur, ut multi, et attoniti, se invicem respectarent : ac Marchio Brandenburgicus, in certamen haud semel, suis prostratis, ingressus, ab eo se multis affectum vulneribus fateretur. Moguntiæ,

Nihil molestiæ subeundum fuit Sociis tredecim evocatis Maceratam, Piceni urbem, a quibus factum initium collegio Maceratensi, die decimo septimo Calendas Junii. et Maceratæ.

Deseritur M. Politianus ob fœdam calumniam.

At montis Politiani collegium horribili concussum calumnia fuit, ac inde paulo post denique profligatum est. Jam inde ab anno MDLVII in hac urbe læti nec inutiles nostri stabant, cum impius petulansque sannio, veste Societatis assumpta, in publicæ libidinis domicilium spectante populo penetravit, ac discedendi ex hac pulcherrima Etruriæ civitate necessitatem nobis attulit. Quid enim erepta, licet injuste, fama fieri boni potest? Discessum est post omnia remedia, quæ ad calumniam diluendam, et mitigandas civium offensiones valere poterant, nequicquam tentata. Interim calumniæ fabricator in morbum incidit: cumque diris cruciaretur doloribus, medico ad inusitatam vim pertinacis mali stupente, se collegit, vocatisque testibus crimen a se in nos confictum declaravit. His auditis benevolentia civium in Societatem, auctore mali mortuo, revixit, et anno tandem MDCVII collegium nobis redonavit.

P. Natalis in Hispania Visitator;

In Hispania, præter solitos adversariorum incursus, qui Societatem quatiebant veluti foris, domestici motus nonnulli optatam turbabant pacem. Ad eos componendos, Visitator in Hispaniam mittitur P. Hieronymus Natalis, et Araozium, de quo Borgia potissimum querebatur, explorare aggressus, hominem comiter admonuit, cujus gratiam apud Regem ac proceres Societati utilem, nec facile infringendam, videbat. Et vero cum Rex litteris acrioribus in aulam evocasset Natalem,

rationem redditurum sui adventus, et auctoritatis quam sibi arrogabat in collegia Hispaniæ; Regem placavit Araozius, et Visitatori potestatem liberam fungendi sui muneris impetravit. In visitandis collegiis multa sapienter Natalis constituit, illud in primis quod nostræ præcipiunt leges : ut ex mera liberalitate collegia nostra fundarentur, nulla per stipulationem conditione a fundatoribus imposita; quamvis Societas post admissam donationem præscribat Sociis quæcumque præstanda judicat, et quæ a Fundatoribus optari cognoscit. Hoc ut statueret Visitator, vel potius olim statutum renovaret confirmaretque, in causa fuerat Petrus Marquina, Conchensis Canonicus, qui Conchense collegium fundandum in se recipiens, tot conditiones a Societatis instituto abhorrentes apponebat, ut nimis caro emi liberalitas hominis videretur. Oravit illum Natalis, et exoravit ut Societatis leges sartas tectasque esse vellet : nihilo plus illam obsignatis coactam tabulis, quam sua sponte facturam, pollicitus.

Ejus ratio visitandi.

Hunc porro visitandi domicilia Societatis modum Natalis tenebat, ut primum e Patribus delectis cognoscere studeret statum collegii, domusve; deinde singulos alloqueretur privatim: denique universos publice adhortaretur, ac doceret. Nonnunquam faciebat potestatem palam quærendi, quæ liquidius explicari quisque vellet. Illud etiam observabat accurate, ut se omnibus facilem,

attentum, et æquum præberet; nec ante quidquam publice præscribebat, quam illud examinandum præcipuis Patribus tradidisset, ac si quid commode monerent, ex eorum sententia idem emendaret. Quantam in legibus Societatis, et instituto retinendo constantiam adhibebat ac libertatem, cum erat opus; tantam moderationem ac verecundiam præ se ferebat maxime cum proceribus; experientia doctus, si aliter fiat, parum profici, multa corrumpi.

Hac prudentia religiosam disciplinam et in veteribus Collegiis retinuit, et in recentia per id tempus nata, induxit. Brigantinum Antonio Pinerio Episcopo Mirandensi, et Joanne Brigantino Duces postulantibus, admissum fuit. Majoricense fundatum est in majori Balearium insularum. Domus Probationis Villaregiensis inchoata, auctore Joanne Pacieco, nec tamen, nisi sexto post anno absoluta. Madritense institui ob eam potissimum causam placuit, ut ad negotia quæ cum regiis administris tractanda sæpe occurrebant Madriti, sedem aliquam Societas haberet. Data primum est domus ab Eleonora Mascarenia; mox aucta paulatim fuit, et constructum templum : sed publicata litterarum studia non sunt ante annum MDLXXII, usque eo adversantibus nonnullis, et moram obicesque tamquam operi minime necessario, imo exitiali, opponentibus. Quos ubi perspecta scholarum utilitas dedocuit, crevit majorem

Collegium Brigantinum,

Majoricense,

Madritense.

in modum magistrorum numerus et discipulorum. Ædes novæ, et hac urbe regia non indignæ anno demum MDXCVI conditæ sunt.

Sic in duabus primariis Hispaniæ et Galliæ urbibus velut eluctata diu Societas, ægre tandem aditum extricavit. Sane Carolus IX, Galliæ Rex, Collegium constitui Parisinum, datis non semel diplomatibus amplissimis edixerat. Sed cum Regnum per sese nondum administraret, annos decem dumtaxat, aut paulo plus eo, natus; Regina Catharina, ejus mater, quæ clavum Regni tenebat, collegii causam Senatui permisit. Ille Ordinem religiosum a nonnullis viris doctis improbatum, civitate ac regno donare metuens; Societatis negotium ad conventum proxime Pisciaci habendum, rejecit, in quo videlicet tractanda erant negotia religionem spectantia. Pisciacum, oppidum est in eo Galliæ tractu quem Insulam Francicam appellant, paulo infra confluentes Æsiæ et Sequanæ. Ibi colloquium indici placuerat, ad iucundam rationem aliquam componendæ cum hæreticis Galliam perturbantibus concordiæ. Metuens Pius IV Summus Pontifex ne quid detrimenti in eo cœtu catholica religio caperet, optimum factu censuerat, ut nomine Pontificis interesset colloquio Cardinalis Ferrariensis. Addiderat illi comitem P. Jacobum Lainium, Præpositum Generalem Societatis. Patres Parisini captata Pisciacensis colloquii occasione suam egerunt causam

Collegium Parisiis stabilitum.

Societas auctoritate publica in Galliam recepta.

diligenter, ac dederunt operam ut e præcipuis Galliæ civitatibus testimonia de moribus, doctrina, et Instituto Societatis colligerent, quæ præsulibus ac proceribus ostensa, terrores ab adversariis injectos atque suspiciones diluerent. Accessere Cardinalium Lotharingi, Guisii, Turnonii, Borbonii et Armeniaci præclara de nostris hominibus judicia. Quæ postquam audita, et expensa sunt, Societas in Regnum auctoritate publica, et consensu recepta fuit, et aperiendi collegia jus datum. Conditiones quædam adjunctæ, duriores illæ quidem, et legibus nostris ac Institutis parum consentaneæ; tolerandæ tamen tantisper visæ, donec temporum acerbitas mitesceret. Eas anno MDLXV abrogavit * Carolus IX, statim atque Regnum per se administrandum sumpsit, ac præcepit Senatui Parisino, ut Bullas Summorum Pontificum et quæcumque ad Societatis Institutum pertinent in tabulas referret. Hinc non modica incrementa Sociis Parisiensibus. Collegio ponendo delecta est, in via S. Jacobi prope Dominicanos, vacue et late patens area, ingenti uti nunc visitur ædificio construendo aptissima.

* *Hist. Soc. P. III. lib. 1. n.° 84.*

Lainius in Pisciacensi colloquio,

His e sententia peractis, Lainius manum conseruit cum præcipuis Calvinianæ sectæ doctoribus, præsertim in eo Fidei dogmate asserendo, quod sacrosanctam spectat Eucharistiam, et quod illi totis viribus evertere nitebantur. Negabat hæreticus doctor præsentem adesse Christum in

divino Sacrificio, et futili argumento se jactabat. Missa, inquiebat, Christi patientis est imago quædam, ut narrant Catholici, et repræsentatio : at istud nomen cadere in eam nequit, si adsit Christus ipse; siquidem simulacra et repræsentationi locus non est, ubi adest res ipsa quæ repræsentari dicitur. Lainius hominem egregia similitudine confutavit : Ponamus, inquit, Regem, post reportatam insignem aliquam de hostibus victoriam, ejus memoriam renovari quotannis velle. Id fieri triplici ratione poterit : nempe, si rem gestam narrari tantum jubeat; vel, si exhibeat eamdem in scena inductis personis, duces ac milites repræsentantibus; denique si velit ipsemet adesse inter actores, et quam in campo et acie personam gessit, eamdem in publico sustineat. Placuit majorem in modum facilis hæc et nativa mysterii difficilis explicatio. Perrexit Lainius hæreticorum præstigias aperire, quos Christus *lupos in vestimentis ovium* *, quos passim Sancti Patres dolosas vulpes appellant, qui nempe verborum integumentis, ac simulatione veteratoria, imponunt hominibus, ut eos perdant ac mætent.

* *Matt.* 7. 10.

Hæc, aliaque id genus cum fidenter et erudite, ut erat Theologiæ scientissimus, dissereret; cum ipsum etiam improbaret colloquium, cujus auctor præcipua fuerat Regina, parum æquis auribus ab ea fuit auditus. Hoc tamen ista dicendi libertate consecutus est, ut nec ipsa Regina, nec

Principes, aut regii consilii Senatores, postea interfuerint cœtibus aliquot aliis, qui deinde inter Antistites ac theologos habiti sunt. Arcana sacræ scientiæ dogmata profanis auribus mentibusque nunquam recte; vix unquam impune committuntur. Hic demum famosi hujus colloquii exitus fuit, ut Fidei formula de Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento conficeretur, de qua pars utraque consentiret. Confecta est quam fieri potuit commodissima : cumque adduci non possent hæretici, ut eam subscriberent, damnati sunt justa Præsulum sententia, et colloquium solutum.

et Lutetiæ causam religionis defendit.

At Lainius mala prospiciens, quæ ex isto pessimi exempli, quamvis glorioso catholicis colloquio erant oritura, eo putavit acrius incumbendum ad religionis defensionem, quo gravioribus periculis erat objecta. Itaque remansit aliquamdiu Parisiis, viros Principes, Regem ac Reginam, ad avitum Galliæ decus retinendum excitans; adiit omnia collegia, omnia cœnobia lustravit; præcipuos doctores Sorbonicos, concionatores, ac parochos, viritim est allocutus, et quæ in rem putabat esse, suggessit : crebras habuit conciones Italico sermone, nonnullas etiam Gallico et Latino. Illud in primis pugnavit, ne templa hæreticis concederentur, quo de argumento conscriptum a se commentarium Reginæ obtulerunt Lainius cum Polanco * ac tunc quidem vicerunt. Verum id aliquanto post Calviniani armatis precibus extorserunt.

* *Hist. Soc. P. II. lib.* 6. *n.*° 32.

Partes Parisiis suas agebat impigre P. Joannes Polancus. Bezam et ejus gregales hortatus est ut interesse Concilio ne cunctarentur : cumque multas objicerent difficultates, ita omnes complanavit, ut illi assentiri cogerentur; et appareret nisi per eos non stare quominus opportunitate cognoscendæ veritatis uterentur. Erat Perosellius non exiguæ inter Calvini discipulos famæ. Huic multis verbis persuadere conatus est, ut Principem Condæum, apud quem auctoritate valebat, ad concordiam cum catholicis impelleret. Præterea collegit, et inter proceres spargenda curavit exempla Principum, quorum memoria perpetuis ad ignominiam notis inusta legitur in sacris annalibus, ob eam causam quod hæreseos patrocinium susceperint, vel Apostolicam oppugnaverint Sedem, qui omnes pœnas debitas misera morte persolverunt.

Parum hæc partium impiorum Duces moverunt : cumque Pisciacensem conventum parum feliciter cecidisse cernerent, alium postularunt in regia Sancti Germani villa. In eo male pariter a Doctoribus catholicis et Lainio accepti. Cum juberentur sententias suas exhibere scriptas, quæ ad Pontificem, aut Concilium Tridentinum mitterentur, neque inter se consentirent, Cœtum abruperunt, et a verbis ad arma quibus confidebant se superiores fore, curas ac studia converterunt.

Idem ubique ingenium est hæreticorum, eadem pertinacia, levitas, inscitia. Nec mirum. Quid

enim certi, quid solidi reperias, cum a veritatis regula discesseris? Quales in Gallia Huguonotti, tales in Africa reperti sunt Cophti. Ægyptum illi fere habitant, Eutychetis ac Dioscori erroribus implicati. Suum habent Patriarcham, qui se Alexandrinum Patriarcham appellat. Romam venerat Paulo IV Pontifice, Abrahamus nescio quis, legatum se ferens hujus Cophtorum Patriarchæ, velut obedientiam Romano Pontifici ejus nomine professurus. Paulus IV perhumaniter acceptum remisit, cum amplissimis muneribus, eique duos Societatis Sacerdotes addidit P. Christoph. Rodericium, ut Pontificium Nuncium, cum Joanne Baptista Eliano, qui legationem explorarent, ac, si vera esset, Patriarcham ad perseverandum hortarentur. Alexandriam delati tertio Nonas Novembres simulatam legationem, sycophantam esse Abrahamum, Patriarcham senem indoctum, et in erroribus obfirmatum invenerunt. Itaque post exactam sequentis anni bonam partem in summis periculis et incommodis, in Italiam sunt reversi. Tentatum idem est negotium annis post viginti, sed inutili pariter, ut ibi dicemus, conatu.

Missio in Ægyptum ad Cophtos.

Ac hæreticorum quidem pervicaciæ merito succenseas, barbarorum vero inscitiæ ac feritati, qui de Christo nunquam audierunt, quodammodo licet ignoscere. P. Consalvus Sylveria, baptizato Cafrorum Principe, ad Monomotapæ finitimum Regem perrexit : quo nempe ad Christum semel

adducto, vicinos Reges, potentia et opibus longe inferiores, facile secuturos confidebat. Regiam ingressus urbem, et recusatis ditissimis quæ offerebantur muneribus, Regem ejusque matrem, quinto circiter ac vigesimo, quam venerat die, solemni pompa baptizavit. Aditum ad regias aures et animum aperuit B. Virgo, cujus imaginem pulcherrimam in sacello Sylveriæ conspicati quidam aulici, eam Regi laudaverant. Rex videndi avidus, ostendi sibi Virginem tam speciosam (sic enim illi descripta fuerat) postulavit. Consalvus pictam tabulam pretioso involutam panno attulit, quænam esset illa Virgo, quis ejus filius, quæ religio per eum invecta, docuit. Ipsa Deipara in somnis Regem ad fidem amplectendam hortata dicitur. Principis exemplum confestim e prima nobilitate imitati sunt facile trecenti.

Baptizatur Monomotapæ Rex, cum Matre et proceribus.

Spes erat, ut spondebant hæc initia, totum regnum brevissimo tempore in Christi jura transcribendi. Lætissimam spem Mahometani succiderunt. Capitali, quo flagrant in Christianos odio incitati, et opulenti commercii detrimentum formidantes Regem adeunt, non sine grandi munere. Comperta sibi esse renuntiant Sacerdotis Europæi consilia; venisse illum jussu proregis Indiæ, ut regionem exploret, populos ad defectionem sollicitet, viam armis Lusitanorum, et ambitioni sternat. Magum esse teterrimum; quoscumque medicata certis vocibus, et incentata lympha tinxerit, eos

ipsi, quidquid jusserit, devotos, et ad omne facinus paratos esse : « His artibus, Rex, tibi Mozambicum, Sofala, pleræque arces aliæ fuerunt ereptæ. Agitur tua salus agitur totius regni causa. »

Consalvus Sylveria crudeliter necatur.

Ea dum adolescenti regi sæpius inculcant, necandum sine cunctatione Consalvum facile persuaserunt. Qui divinitus de re tota factus certior, uti sæpe significaverat amicis, ad necem se comparavit. Illum interim Rex dissimulatione crudeli, et Lusitanos bonis verbis, promissisque onerabat : sed vir Dei conscius imminentis periculi, viventem hostiam sese superis offerebat. Id agentem aliquando, et ante Christi e cruce pendentis imaginem prostratum, invadunt octo sicarii, et arreptis brachiis pedibusque restem collo implicant, et summa vi utrimque adducunt. Constrictis faucibus, ingentem ore naribusque sanguinis copiam effudit, simulque victorem spiritum procreatori suo reddidit. Cadaver in profluentem abjectum est. Parabat rex in reliquos sævire Christianos. Repressus a Lusitanis ultionem et arma intentantibus, dolorem admissi facinoris præ se tulit, imo aliquos e sicariis neci dedit, ceteris fuga elapsis. Ortus erat Consalvus Almerini, prope Olisipponem claris genere ac pietate parentibus, VII Cal. Martii anni MDXXVI; acceptus in Societatem anno MDXLII; hanc ingenio, doctrina, et virtute ceterisque summis dotibus, hac demum pretiosa morte, illustravit, Idibus Martii MDLXI.

Afrorum perfidiam compensavit Japonum fides. Celebrabatur inter illos Quenxus, insignis Bonzius, ad cujus examen, et quasi tribunal, vocabatur quisquis in litteratorum academia gradum aliquem ambiebat. Ipse per annos quadraginta Japonicarum sectarum mysteria speculatus, conscripserat ingentem voluminum copiam, quæ tanquam legitimam apud eruditos auctoritatem consecuta, in scholis prælegebantur. Is tantus, talisque, ad P. Villelam venit, sed solus, quasi puderet alium a se doctorem audire palam, et consulere. Magnam enimvero habere se illi gratiam Villela dixit, qui tantus tantillum conveniret. Bonzius narravit plurima superbe ac inaniter, quibus vicissim cum multa vera et gravia, de Numinis Divini potentia et majestate, de suppliciis æternis, ac præmiis, Villela reposuisset, expavit arrogans doctor, et repente altum suspirans, exclamavit, se Christianum esse. Attonitus insperata voce Pater, fraudem extimuit; sed locutum ex animo sensit, cum ab eo cremata volumina, laboriosos tot annorum partus, cognovit. Ubi res percrebruit, incredibile est quantum sermonis populo dederit: catervatim ad Baptismum civitas, exemplo tam illustri perculsa, convolavit, et ex academia celeberrima, in vicino collocata monte, Bonzii insigues quindecim Quenxum sunt æmulati. At alii, libidinum et avaritiæ mancipia, fragore tanto exspergefacti, Sacerdotem Societatis exturbare

Insignis Bonzius ad Fidem convertitur,

insigni cum fructu.

civitate constituunt. Id tutius ut perficiant, urbis præfectum, et e magistratibus præcipuos quosdam, grandi pecunia delinitos in consilium adhibent. Certior per amicos Villela factus, primum delituit; deinde ope Divina fretus, postulavit ab Imperatore ut constituto judicio causam cognosci suam juberet. Imperator ausos rem tantum, se inscio, Bonzios graviter ferens, diploma edidit priori multo splendidius, quo legis Divinæ præconem et Christianos ab improborum insidiis et furore tutos omnino præstabat.

In Japonia, Sacaiani Ecclesiæ accedunt,

Parta hunc in modum religioni pace, novi gregis condendi occasio est oblata. Sacaium urbs ampla et locuples, Meaco distat fere bidui. Hostes arcet validis, quibus cingitur, munimentis; exteros allicit ex Oriente toto, tutissimi portus amplitudine, et ab omni portorio immunitate. Civis Sacaii primarius epistolas ad Patres cum donis misit, obtestans ut venirent, ac suam illis offerens domum, in qua ceteros erudire cives possent. Neque aliter ac promiserat fecit : ipse, uxor ejus ac liberi, milites quatuordecim, cum aliis plerisque partim indigenis, partim advenis, tanquam primi, vivique lapides in fundamenta cœlestis ædificii dejecti sunt. Favebat religioni urbis tranquillitas, quam procul ab omni seditione ac tumultu defendebat magistratuum vigilantia. Non eadem reliquarum urbium Japoniæ sors, quæ intestinis sæpe discordiis agitabantur, et pacem nisi multo cruore

non emebant : ut per idem tempus accidit Meaco, quæ civitas seditione excitata per nonnullos proceres Imperatori graviter infensos, direpta et pervastata, civium suorum sanguine redundavit. Villelam oppressisset ea tempestas, nisi Christianorum hortatu, ac prope imperio, mature se subduxisset. Postquam satiatus latrociniis ac cædibus rebellium furor conquievit, rediit Meacum, et die Natali Beatissimæ Virginis primum ibi sacrum fecit, eamque ob rem Meacense templum Reginæ Sanctorum omnium dedicata fuit.

Quieto esse Villelæ per Bonzios diu non licuit. Libellum supplicem communi consensu offerunt urbis Præfecto : rogant ut Meaco Villela pellatur; tum, ut capitis pœna sanciatur in eos, qui Europeam sectam amplectentur. Pellere Villelam, inquit Gubernator, meum non est : quippe cui facta sit per ipsum Imperatorem manendi copia; Christianam legem expendi jubebo, ac siquidem rationibus imperii, contraria judicabitur : Principem curabo admonendum. Erant in Imperatoris comitatu Bonzii duo præpotentes, alter cæremoniarum quasi magister, ac rituum censor; alter Mioxindoni, summi copiarum Japonicarum ducis secretarius : ambo magica pollentes arte. His examinanda Divinæ legis causa committitur. Nemo perditam non credidit. Dum in examen istud incumbunt, incidit eorum alter in Christianum e plebe opificem, et mira quædam de cœlestibus

bonis, de animæ immortalitate, de suppliciis æternis, narrantem audiens, admiratione defixus hæsit : mox, scitari libet, inquit, ex ipso, qui te docuit, magistro, quæcumque narras : dic ut me quamprimum conveniat. Villela Sacaium clam refugerat; Adest illi tabellarius ab isto Bonzio, instatque ut sine cunctatione Meacum se referat. Venit : ibique post primum alterumve colloquium, et hunc Bonzium a quo fuerat accitus; et ejus familiarem ac Socium baptizat, cum septuaginta primoribus, et quingentis e populo. Persuasum fuit omnibus eam legem sanctam veramque esse, quam duo isti doctores approbassent. Successus tam felix, tam inopinatus fecit animos P. Villelæ ut ipsum Imperatorem adiret. Deductus in regiam a nobilibus Christianis, et a Principe humaniter acceptus, cum eo questus est de rege Amangucii, neophytos vexante. Hunc vero Imperator severe admonitum, ullas deinceps divinæ legis, cujus sanctitatem ipse agnosceret, opponere moras vetuit.

in Brasilia Taparica insula.

Quam Ecclesiæ Japonicæ tranquillitatem offerebat Imperator, eamdem in Brasilia tuebantur Episcopus ac regius Prætor. Sacrorum majestas et pompa quædam cæremoniarum, in conferendo baptismo adhiberi solita, indigenarum oculos animosque mirifice capiebat. Id maxime apparuit in Insula Taparica, non procul ab urbe Soteropoli, sive Sancti Salvatoris. Agrestis et inculta multitudo e montibus et sylvis deducta Christianas accepit

leges. Pagus item alter non procul inde conflatus est, eique nomen Boni Jesu impositum; et Servatoris bonitas confestim enituit, nongentis capitibus salutem ab eo partem in vitali fonte consecutis. Alii similiter aliis in locis pagi et oppidula, circa Soteropolim condita. Stabile domicilium in Pernambucensi Præfectura Societas anno sequenti adepta est, et Socios qui Præfecturam Sancti Vincentii excolebant divina servavit manus, repulsis non sine clade barbaris qui Piratiningam obsederant, et oppidum delere cum nomine Christiano conjuraverant. et Boni Jesu pagus.

Annus Christi 1562 : Societatis 23.

Annus hic delectos Societatis Theologos Tridentum, jubente Pio IV revocavit. Abrupta propter bellum Germanicum Synodus erat, ab anno MDLII; ante hunc annum restitui non potuerat. Revocati Tridentum Patres.

Jamdudum Pontifex Maximus Lainio mandaverat, ut eo se conferret. Hic Parisiis quinto Idus Junias in Belgium discesserat, illac iter minus ab Hæreticis infestum habiturus. Tornaci relicto P. Natali, qui ex Hispaniis illum convenerat, Bruxellas perrexit, Societatis res Cardinali Granvellano, et Viglio Præsidi commendaturus. Hi, cum dicerent tandem se, factorum testimonio coactos, fateri Societatem Dei plane opus esse, prolixe operam suam despondere. Præerat, pro Philippo Rege fratre suo, Margarita Austriaca Lainii iter per Belgium et Germaniam. *Hist. Soc. P. III. lib. VI. n.° 70 ad 77.*

Dux Parmensis. Ea Lainii conspectu gavisa, quod olim Romæ frequentare concionantem, et apud eumdem per omologesim noxas ponere, ubi S. Ignatium invaletudo distineret, consuevisset; multa cum eo utiliter negotia pertractavit. Lovanium profectus, singulari honore et humanitate a præcipuis Theologorum excipitur : nec prohibere potuit quin digredientem, unius iter diei prosequerentur. Leodii multa coram egit, de quibus sæpe antea per litteras, Princeps Episcopus. Coloniæ Agrippinæ, quo tertio Calendas Julias pervenerat, tum Socios collegii communiter ac viritim sanctis colloquiis, tum Carthusianos Patres, id summe rogantes, latina oratione recreavit. Trevirenses, Moguntinos, Augustanos Patres adivit. Ingolstadio tandem, unius et dimidii diei itinere Monachium perlatus; inde OEniponto transiens, Tridentum jam diu exspectatus, Idibus Sextilibus ingreditur, duobusque e Societate Theologis, Joanni Covillonio et Alphonsi Salmeroni conducta in domo conjungitur.

Quis illi in Synodo sedendi locus.

Jam Lainio ad publicum Conventum vocato, quia nunc Præpositus Generalis Societatis factus, ei rituum Magister in Concilii consessu proximum, post Canonicorum Regularium Generalem Præpositum, sedendi locum assignaverat; cum Societas Religio Clericorum esset, constaretque Clericos Monachis præponi solitos. Quia tamen Religiosarum familiarum eadem erat novissima, ortum est

aliquid controversiæ a Monachorum Præpositis, Lainium præferri sibi dolentibus. Locum ipse infimum deposcebat, modo testatum maneret Societatem e genere, et ordine Clericorum esse. Legati Concilii rem ita temperarunt, ut extraordinario loco in subselliis Episcoporum sederet : verum sententiam postremus omnium Præpositorum Generalium diceret. Manavit ab invidis et obtrectatoribus rumor, illum Præsulibus invitis, locum sibi non debitum invasisse. Concilii Præsides fictæ fabulæ, et obtrectationi detrahendam fidem peculiari diplomate censuerunt, ac perhonorificum de Lainii modestia testimonium dederunt. Ea res non deterruit Paulum Sarpium (cui Fra Paolo vernaculum et vulgare apud Italos nomen est) quin scriberet non placuisse Lainio locum inter Præpositos Clericorum Regularium Generales ultimum; sed operam dedisse, per sodales suos, ut superiorem obtineret. Cum tamen legati diserte suis in litteris affirment ipsum pacis et modestiæ studio, postremum inter eosdem Generales Præpositos locum postulasse. Idem asserit * Cardinalis Gabriel Paleottus, qui tunc Rotæ Auditor Concilio interat : *Jacobus Laynez*, inquit, *Societatis Jesu Præpositus Generalis, doctrinæ pietatisque laude inclytus, cum orta esset dubitatio de loco ipsi assignanto, maluit pro sua modestia et prudentia postremus omnium sedere, quam altercationis quidquam publice aut privatim movere.*

* *Hist. Conc. Trid. lib.* 15. *c.* 15.

Compositâ hunc in modum de Lainii loco controversiâ, summa fuit omnium aviditas ejus audiendi. Quare sexto Calendas Septembres totum matutini consessus tempus illi attributum est ad dicendum.

Quanta ejus dicendi vis.

Cumque vox ejus ad remotiores non satis commode accideret, Legati suggestum afferri jusserunt, ex quo editior conspectiorque, duas ipsas horas et dimidiam de sacrosancto Missæ sacrificio peroravit. Simili frequentia et favore sæpius exinde sententiam dixit; nec dissimili etiam libertate. Cum enim Cæsar, et Bavariæ Dux instarent ut Sacri Calicis usus populo concederetur; Lainius existimans usum hunc rei catholicæ perniciosum, etsi probe gnarus quantum Ecclesia, quantum nostra Societas Cæsari et Duci Bavaro deberet, idque palam in ipso dicendi aditu professus esset, acerrime contra disseruit. Rursus pro Romani Pontificis in Episcopos auctoritate et Hierarchia Ecclesiastica tam erudite fortiterque pugnavit, ut qui contra nitebantur, alii mentem omnino mutaverint, alii quæ dixerant explicanda mitius putaverint. Legati vero Pontificii aperte testati sunt magnam eo die Lainii meritum erga Sedem Apostolicam extitisse.

Magna quoque de P. Salmeronis eruditione opinio Patrum erat. P. Polancus non solum doctæ, sed etiam cultæ atque ornatæ dictionis laudem ferebat. Canisius de Germaniæ rebus potissimum consulebatur; quippe in ea diu versatus, et locorum ingeniorumque scientissimus : atque ob eam

causam paulo maturius e Concilio discessit, revocantibus eum in Germaniam catholicis, qui necessarium in optimi viri experientia et sapientia præsidium sibi ademptum querebantur. Quam præclara esset apud universos Concilii Patres existimatio de tota Societate colligi ex eo potest, quod cum Sancta Synodus instituenda passim Seminaria censuisset, nemo propemodum fuit, qui hanc Societati curam non destinaret. Permulti Societatis collegia postularunt; et Guillelmus a Prato, Claromontanus antistes, ut ceteros taceam, reversus in Galliam, tria fundavit. Illud etiam ad Societatis commendationem pertinet, quod cum certæ leges religiosis viris dirigendis reformandisve præscriberentur, negavit Sancta Synodus sibi esse in animo, *aliquid innovare, aut prohibere quin Religio Clericorum Societatis Jesu, juxta pium eorum institutum, a Sancta Sede Apostolica approbatum, Domino et ejus Ecclesiæ inservire posset**. * *Sess.* 25. *c.* 16.

Opinioni de se in Concilio Tridentino excitatæ respondere conabatur ubique Societas, ac præcipue in Delphinatu, in Arvernia, vicinisque provinciis, quas hæresis potissimum devastabat. Patres, divisis veluti copiis, quo periculum vocabat, accurrebant. Quæ quisque illorum discrimina, furentes inter lupos et cædem anhelantes, adierit; quibus probris et contumeliis fuerit appetitus; quoties de vita, et capite periclitatus, enumerare promptum non est. Possevinus Lugduni

In Galliis pericula, labores et fructus.

novitatem insidiosam erroris arte nova debellabat. Post explicatum pro concione dogma catholicum aliquod : videamus, ajebat, quid sentiat de illo Calvinus? mox ipsum Calvini librum sumebat in manus, et coram populo testimonia locaque Patrum aut Conciliorum ab eo laudatos recitabat; demum ipsa Patrum volumina proferebat, eaque impressa Basileæ: ne quis adulterata per catholicos diceret. In iis locos a Calvino mendose, falso, improbe citatos demonstrabat. Quibus auditis hæretici, cum quid contra possent hiscere non haberent, disrumpebantur dolore scilicet, in omnemque ulciscendi occasionem imminebant. Hæc oblata non ita multo post fuit. Introductis Lugdunum militibus ementita veste tectis, urbem noctu occupant. Impetum in cœnobia et templa faciunt; spoliant sacraria, tabularia incendunt; venerandas Beatorum reliquias partim cremant, partim in flumen projiciunt; sacros calices ad intemperantissimas compotationes adhibent. Possevinus inter insanos bacchantis impietatis tumultus elabitur per tenebras in ædes gubernatoris, qui scelerum istorum conscius, et motum ab impiis simulans, deducit ipsum in secretum conclave, quasi securitatis causa. Eo statim intromissus adfuit perduellium signifer cum facinorosorum caterva, et nunc tempus est, inquit, aut revocare quæ de missa Catholicorum scripsisti et dixisti, aut ea sanguine tuo delere. Possevinus respondet fidenter, vera se

Possevinus Lugduni lacessitur.

dixisse, nec in se quidquam esse moræ quominus omnia suo sanguine non deleat, sed consignet : simul perspicua de sanctissimo Sacrificio argumenta, locosque sanctorum Patrum bene multos profert. Hæreticus, qui ad mactandum, non ad disputandum venerat, ingeminat convicia, telum jugulo intentat, ac multa per vesanum furorem minitans erumpit foras ; de Possevino in platea et oculis civitatis interficiendo cum suis deliberaturus. Interim, Deo famulum suum protegente, præfectus oppidi vicini, quod erat in ditione Ducis Sabaudiæ, cognito Possevini periculo, accurrit Lugdunum, docet gubernatorem et proceres hæreticorum quo loco sit ille apud Sabaudiæ ducem ; non futurum impune siquid injuriæ damnive patiatur : adventare militum cohortem, quæ illum præstet incolumem ; ipsorum interesse ut ne quid ægre Sabaudiæ Duci faciant. Vix denique impetravit ut alieno vestitu occultatus effugeret. Delatus inde Cherium, urbem Pedemontii, quam hostes religionis designaverant ; ubi arcem illi erroris ponerent, in ea paucis mensibus asylum et propugnaculum veritatis erexit.

P. Augerius ad patibulum ducitur.

Edmundus Augerius propius abfuit a patibulo et nece. Laudabant illum novæ doctrinæ architecti juxta, et oderant. Laudabant eloquentiam, in qua tribuebant illi facile primas : oderant studium propagandæ pietatis, maxime cum cernerent ; eo docente, suum quotidie minui gregem,

et catholicum augeri. A circumjectis oppidis viri pariter ac mulieres non dubitabunt alii millia passuum viginti; alii sexaginta; nonnulli etiam plura conficere, ut aures concionanti darent. Crebræ ad eumdem remotarum urbium legationes veniebant, orantium ut ipsis partem aliquam ministerii cœlestis impertiret. Sed eximium religionis defensorem Valentia Delphinatium tanto ardentius retinebat, quanto graviore periculo premebatur. Captabant omnes urbis occupandæ vias Calvini milites, eoque instabant vehementius, quod Augerium in ea esse resciverant, quem si comprohenderent, regnare se arbitrabantur. Voti compotes facti sunt. Capta dolo civitas est*. Ejus gubernator catholicus, e fenestra domus suæ suspensus. Augerius, ut illustrius periret, in forum ad patibulum rapitur, et jubetur mori, nisi recantet, audiente populo, quæcumque contra novum Evangelium prædicaverat. Ille vero, postquam feralem scalam conscendit; eadem oris dignitate et constantia, qua suggestum solebat, insertam collo restem ostentans, vocem intendit, et gratias ingentes omnibus Superis egit pro gloriosæ necis beneficio. Mox orationem convertit primum quidem ad Catholicos, qui aderant ex urbe tota collecti, mœrentesque: deinde ad hæreticos, qui læti ovantesque circumstabant : illorum animos erigere, horum comprimere ferociam, utrosque sic delinire, ac victrici eloquentia conciliare cœpit,

* *anno* 1562.

ut hærerent omnes admiratione defixi. Sane ministris hæreseos compluribus propter comitatem ac modestiam carus erat. Itaque unus adstantium ministrorum ad militaris turmæ ductorem, qui necandum Augerium acceperat, et moras ægre ferebat, accurrens, orat, ne supplicium sumere festinet : posse hominem hunc vinci adhuc, et resipiscere; si avulsus a catholicorum partibus fuerit, magnum novæ doctrinæ decus ac præsidium accessurum. Ergo, plaudentibus universis, reducitur in carcerem, ubi telis omnibus et insidiis oppugnatus, libertatem invictæ mentis orationisque retinuit, donec paratum a catholicis effugium nactus, evolavit in vicinam civitatem. Profuit Christi famulo servari et vivere, non tam ipsius causa, cui *Christus vivere, et mori lucrum,* erat, quam eorum qui hunc perditum cupiebant. Periissent illorum quadraginta minimum millia, si unus tunc Augerius periisset : totidem enim a mendacii transverso tramite, in rectam veritatis ac vitæ viam postea restituit.

Elapsum et incolumem esse Augerium mœrentibus hæreticis nunciavit fama concionum, quas habebat Claromontii, Billomi, Ricomagi, Issiodori, vicinisque in urbibus, ubi triumphantem secum religionem circumducebat. Fugiebant, audito ejus in aliquem locum adventu, magistri erroris ac discipuli, et noctuarum instar, adventante die in suas se tenebras trepidi referebant;

dum alumni veritatis, sæpe ad viginti millia, concurrebant, auscultandi causa, unoque omnes ore testabantur parem Edmundo in Gallia auditum adhuc esse neminem.

Tolosani, et Rhutenensis Collegii initia.

Non inani plausu et sterili admiratione conciones Oratoris eximii laudabantur. Ejus verbis excitati catholici erexerunt sese et confirmarunt, hæreticorum audaciam represserunt, præsidium denique contra pietatis hostes a Societate postularunt, præsertim Tolosani ac Rhutenenses. Auctor præcipuus utriusque collegii fuit Georgius Cardinalis Armeniacus, Tolosæ Archiepiscopus idemque Episcopus Rhutenorum. Tolosanos Augerii virtus, et dicendi facultas multum adjuvit. Illi, Doctorum academicorum cœtus, missa legatione perhonorifica, Doctoris gradum et insignia detulit. Quæ cum vir modestissimus benigne recusasset, oravit, ut quam sibi privatim significabant benevolentiam, conferrent in universam Societatem. Id vero ab iisdem cumulate factum fuit : cumque Patres anguste atque incommode habitarent, Senatus ac reliqui cives collata grandi pecunia, ædes magnificas coëmerunt, missisque ad Regem oratoribus, ei collegium, quod hæretici disturbare moliebantur, enixe commendarunt; eamque ob causam Parisios Edmundus ipse contendit. Non dissimilia fuerunt apud Rhutenos ordinum omnium in stabiliendo collegio studia, quæ fovit egregie Cardinalis Armeniaci successor Jacobus de Corneilhan.

Dum hæc surgunt collegia, Parisinum ferme concidit. Lutetiam invasit pestilentia tam atrox, ut octoginta hominum millia dicatur paucis mensibus absumpsisse. Sociis tribus extinctis; reliquos paulisper cedere Lutetiâ coëgit Paschasius Broëtus, unus e primis decem Patribus, collegii moderator; ipse vero adduci non potuit, ut abiret. Itaque cum uni e nostris, peste contacto inservisset, eadem confectus est XVIII Cal. Octobr. Quæ virtus et indoles Paschasii fuerit abunde colligitur e scheda S. Ignatii, quæ etiamnum exstat. Quærebatur idoneus Æthiopiæ Patriarcha; tria præcipue ad id munus requiri dicit Ignatius : sanctimoniam vitæ, litterarum scientiam, et quædam bona corporis. Tum, propositis expensisque primorum Patrum singillatim dotibus; « Paschasius, inquit, ante » omnia ita est vir bonus, ut a nobis quasi angelus » in Societate habeatur : deinde, præter scientiam, » qua pollet, plurimum est in causis Episcoporum » versatus, quippe functus in Hibernia Nuntii » Apostolici munere, adeo ut ejusmodi negotia » nemo unus e Societate æque tractarit. Illa autem » sic tractavit, ut ad quamcumque manus admo- » veret, operam suam mirabiliter probarit; nam » et valde natura sedulus est, et magnam in co- » gnoscendis Episcopalibus et conscientiæ causis » diligentiam ac studium semper adhibuit, quæ » res in Æthiopia maxime necessaria est. Postremo » satis ei honesta est totius conformatio corporis,

Parisiis tres peste ablati,

et P. Broëtus.

S. Ignatii de illo judicium.

» satis firmæ vires, ætasque media annorum cir-
» citer XL. » Hæc scribebat B. Pater sub annum MDXLVI; quo tempore, cum esset in Gallia Paschasius, et eo carere collegium Parisiense vix posset, missus in Æthiopiam non est.

Ad eas dotes, quas in eo laudat S. Ignatius, hominum æstimator peritissimus; accedebant aliæ duæ, quas in viris Apostolicis Christus Dominus potissimum requirit, prudentia et simplicitas. Nihil eo candidius, nihil apertius et amabilius. Hinc aditus omnibus ad ipsum facilis, et juncta fiduciæ benevolentia : hinc oris et animi serena tranquillitas, in adversis æque ac secundis rebus : hinc religiosa humilitas, quam virtutem aiebat se totis viginti annis a Deo postulasse, necdum obtinuisse. Quam gauderet sui contemptu, cum sæpe alias, tum vero intellectum est, quando Lutetiam petens incidit in messorum turbam, qui pannosum advenam, iter pedibus facientem, ut semper consueverat, et baculo nixum conspicati conviciis et sannis prosecuti sunt. Constitit Paschasius ac si avidis auribus dulcem symphoniam hauriret, donec illis cessantibus benediceret. Illi patientiam admirati, petiere veniam, et ad genua supplices acciderunt. Hujus generis quiddam S. Ignatio Romam venienti contigisse proditur : filium parenti similem agnoscas. Porro quam sui contemptor Paschasius, tam salutis alienæ sedulus erat curator. Numquam aut confessionibus audiendis

Ejus dotes.

aut ægris diu noctuque visendis defatigabatur. Denique restare solus in medio pestilentiæ incendio non dubitavit; tum ut civibus præsto esset; tum ut Sociis laborantibus opem ferret, quibus dum adest, exitum gloriosum charitatis præmium accepit. Missus fuerat in Hiberniam a Paulo III; et in reditu Scotiam, sed præteriens et velut a limine, salutaverat. Nova Scotiæ pericula, nova spes restituendæ religionis Pium IV impulerunt, ut Societatem illuc remitteret.

Laboranti Scotiæ,

Post luctuosam Henrici VIII ab Ecclesia catholica defectionem, Scoti per aliquot annos integritatem Fidei retinuerunt; Jacobi V Scotiæ regis studio, qui pestiferæ novitatis semina igne ac ferro succidere curavit. Post ejus mortem, quæ in annum MDXLII incidit; regni administrationem et Mariæ Stuartæ, recens natæ, tutelam suscepit Jacobus Hamiltonius, Comes Araniæ, ac funestam agendi dicendique licentiam, novæ doctrinæ cupidis dedit, repugnante vehementer Cardinali Betonio, Archiepiscopo Santandreano; et Regina matre, Guisiorum Sorore. Hæc, ut religioni catholicæ consuleret, adduci numquam potuit, ut Mariam filiam Anglis educandam traderet, quam Henricus VIII uxorem filio suo petierat, inhians Scotiæ per ejusmodi affinitatem; et evertendam facilius ea ratione catholicam inter Scotos Fidem sperans. Repulsam iniquissime tulit, ac bellum Scotis indixit. Regina, præsidium Scotiæ ac reli-

gioni quærens, egit cum regni proceribus, ut Mariam petenti Francisco Galliæ Delphino, conjugem annuerent. Ducta in Galliam, nupsit decem
* *anno* 1559. post annis * eidem Francisco, et Scotiæ regnum interea matri gubernandum permissit. Quæ vires hæreseos validiores cernens, quam ut illos posset omnino infringere, conata saltem est, eas debilitare. Piis conatibus obstitit Elisabetha, infensa Mariæ Stuartæ ob eam causam, quod Stuarta jus in Angliæ regnum, ut Henrici VIII hæres, sibi arrogaret, cujus etiam titulum et insignia, statim ab obitu Mariæ, Henrici ejusdem VIII filiæ, sumpserat. Sed Angli Elisabethæ partes et iras fovebant tum studio hæreseos, tum in Gallos odio, quibus ne per Mariam Stuartam aditus in Angliam pateret, verebantur. Iisdem facibus inflammati Scoti perduelles, duce atque auctore præcipuo Jacobo Stuarto, Moraviæ Comite, in Catholicum Gallicumque nomen conspiraverant : cumque a Gallis in Scotiam submissis premerentur, ad Elisabethæ
* *anno* 1560. opes et arma confugerunt. Mortua * per idem tempus Mariæ Stuartæ matre, quæ rem catholicam in Scotia utcumque sustentabat, hæretici liberas velut habenas nacti Divinam omnem humanamque auctoritatem proculcarunt. Interim Maria Stuarta, extincto Galliæ Rege Francisco II, in Scotiam suam rediit, ut religionem restitueret. Hæreticorum factio, viris armisque prævalida, Reginæ piissimæ consilia evertit. Contumeliis affectam conjiciunt in

carcerem. Ex eo feliciter elapsa confugit ad Elisabetham. Loco asyli, quod quærebat, vincula necemque demum invenit. Successit Elisabethæ Jacobus I Angliæ, Scotiæ et Hiberniæ rex, Mariæ Stuartæ filius degener, qui regnantem in Anglia hæresim, confirmavit in Scotia.

Non destiterunt Romani Pontifices quamcumque poterant opem regno miserrimo impendere, submissis e Societate Sacerdotibus qui rem catholicam tutarentur. Vix Apostolicis confirmata litteris Societas erat, cum PP. Alphonsus Salmeron, et is, de quo mentio proxime facta est, Paschasius Broëtus in eam jubente Paulo III se contulere. Cum vero Maria Stuarta, post viri obitum in suam se Scotiam e Gallia recepisset. Pius IV ejus cognita pietate, ac summis, quæ Reginam infelicem ac religionem circumstabant, periculis; nuntium ad eam Apostolicum hoc anno MDLXII submisit P. Nicolaum Gaudanum. Is Goudæ in Hollandia natus, ab ortus sui loco nomen habet. Eum comitati sunt adolescentes duo Scoti nobiles, Edm. Haius et Guill. Crittonius, Societatis candidati. Per eos, licet dissimulare ac tacere jussos, indicatus fuit amicis quibusdam catholicis Gaudanus. Continuo emanavit ad Calvini ministros fama, vociferantur, adesse ab Antichristo (sic illi Vicarium Christi nominant), legatum : arcendum longe, vel omni potius cruciatu mactandum. Conquiritur ad necem; viæ, portus, littora excutiun-

succurrunt S. J. Patres,

et hoc anno P. Gaudanus.

tur. Penetravit nihilominus ad Reginam, eique litteras Summi Pontificis reddidit. Habebat alias Episcopis tradendas; sed eos conveniendi, præter unum, potestas non fuit : nec sine peculiari numinis tutela factum est, ut incolumis in Belgium evaderet cum Crittonio. Haius aliquandiu substitit in Scotia, ubi collectis adolescentibus non paucis, summæ spei, cum iis migravit in Belgium, unde cum Crittonio profectus est Romam, ad ponendum vitæ religiosæ in Societate tirocinium.

Res gestæ apud Cafros.

Andreas Fernandius dimissus fuit clementius a Cafris. Eorum vitia et fabulas cum redargueret, moleste ferebant veras objurgationes, et invisum veritatis præconem ferro tollere aut veneno meditabantur. Quia tamen contra ipsorum errores pugnabat ratione, cujus innata lux penitus extingui etiam in barbaris mentibus nequit; nec nullam inter Songos (ita suos appellant sapientes), eruditionis famam erat adeptus, manus illi palam injicere ausi non sunt. Denique Rex Christi probabat laudabatque legem; sed præceptorum a suis moribus abhorrentium sanctitate ac difficultate deterritus atque abalienatus, eam promulgari vetuit. Quare Fernandius, operæ pretium non sperans rediit in Indiam, unde venerat cum Fr. Andrea Acosta, qui gravitatem Africani cœli non ferens, inter Cafros vita cesserat.

Lætior in Japonia et maturior fuit Evangelii seges. Cum cerneret P. Cosmus Turrianus, nostro-

rum in Japonia præses Christianorum, pueros a Bonziis, quorum scholas frequentabant, mores pessimos haurire, puerilem scholam domi nostræ aperuit. Ad eam ipsimet liberi ethnicorum facile sunt adducti, postquam cognitum est plus in Societatis disciplina proficere pueros uno mense, quam pluribus in Bonziana. Tum parentes a liberis Christum paulatim didicerunt. Magnam ab omnibus approbationem habuit solemnis supplicatio Feria quinta majoris Hebdomadæ. Præibant pueri cum singulis Christi cruciatuum instrumentis, et ubi ventum erat in ædem sacram, suum quisque ostentans, brevi oratione describebat. Sequebantur viri flagellis in se armati, et viam copioso sanguine signabant. Luce vero Christo resurgenti consecrata, ferculum Eucharisticum per urbem circumlatum est, populo Christiano cum facibus et floreis coronis prosequente.

In Japonia, prima schola puerilis; etc.

Pietatem neophytorum paululum retardavit consueta inter Japones regnorum perturbatio. Aliquantisper a tumultu bellico respiraverant Amangucium, Facata et Firandum, urbes amplissimæ. Illas Turrianus per fratrem Ludovicum Almeidam invisendas curavit : Meaci quippe P. Villela detinebatur; P. Balthazar Gagus abierat in Indiam anno MDLXI, suppetias petiturus. Almeida Facatum ingressus Bonzium insignem Regi a concionibus, erudivit per octo dies, ac tandem Evangelio subdidit. Mox ad Insulas Tacuximam et Iquizuchiam

P. Almeidæ felix labor;

divertit: priorem, totam Christianam reperit, ac fanum vetus in sacram ædem commutatam; in posteriori octingentos offendit Christi cultores. Regebant illos Bonzii duo Christiani, qui simillimam priscis anachoretis vitam vivebant: horum sermonibus, ac magis exemplis, religio uberrimos efferebat fructus. Refertum diu noctuque precantibus templum erat, pars ad mediam usque noctem consistebat orans; pars a media nocte ad lucem. Expleri non poterant meditandis Christi cruciatibus, atque adeo imitandis, et in se adimplendis. Itaque feria sexta senes cum pueris, cum liberis parentes, flagellis piabant noxas; jejuniis vero, et reliqua vitæ austeritate, cum religiosis viris, etiam severioris instituti, certabant.

Saxumæ et Omuræ reges Christi legem discunt, etc.

Pergenti ulterius Almeidæ, et passim sacras ædes, aut excitanti novas, aut angustas amplificanti, afferuntur a Turriano litteræ, Saxumam ut quamprimum se conferat. Scripserat Turriano Saxumæ Rex, cujus in regno Xaverius prima legis et vitæ Christianæ jecerat semina, ut aliquem e nostris, a quo plenius doceretur, ad se mitteret. Compotem voti Almeida fecit, eoque per otium instituto, revertens Bungum, jubetur Omuram e vestigio petere. Sumitanda Rex Omuræ, in libellum inciderat a P. Villela conscriptum de Christiana fide. Illo mirifice delectatus, ardebat omnia uberius cognoscere ab aliquo e Patribus, utque populi avitæ superstitionis tenacissimi offensionem

effugeret, per causam commercii Lusitanorum suos in fines alliciendi, Societatis homines introducere cogitabat. Placuit augendi commercii et locupletandi consilium proceribus, offertur Lusitanis portus Vocoxiura, nulli Japonensium portuum secundus : duas quippe leucas ambitu suo colligit, insulamque ostio prætentam habet, tutissimum contra procellas omnes propugnaculum. Ad hæc promittitur Lusitanis immunitas ab omni portorio, per decennium : postremo ædes sacra datur, censusque annuus, alendis Sacerdotibus.

Ingentes Turrianus gratias divinæ bonitati egit, cujus gloriæ amplificandæ tam præclara dabatur occasio. Advolat Vocoxiuram; incredibilis Christianorum concursus in hunc portum est factus. Templum brevi conditum est, ac Societatis domus, quam Rex paulo post invisens, et a Lusitanis splendidissimo convivio acceptus, secundum epulos a Patre deducitur in ædem sacram, et ut quidque spectandum in variis imaginibus, atque ornamentis templi, occurrebat, primis quasi Christianæ Fidei rudimentis imbuitur. Flabellis Japones multum utuntur, non solum ad ciendam frigidiorem auram; sed elegantiæ cujusdam ac deliciarum causa. Discedenti unum Turrianus perquam affabre elaboratum obtulit, in quo pictum auro, minioque sacrum Jesu nomen erat, addita superne cruce, inferne clavis tribus. Miratus Rex quæsivit, quid istæ sibi vellent litteræ? quid clavi?

Nec discessit prius, quam cognito rite mysterio formare signum Crucis doceretur. Omuram reversus crucem ex auro fieri jussit, eamque de collo suspendit.

Est hæc indoles et natura boni, ut se diffundat, copiamque sui, quamcumque potest, faciat. Repertum Evangelii thesaurum Sumitanda communicare cum fratre suo, Rege Arimæ, studuit. Adit illum continuo; et sciscitanti fratri, quorsum auream e collo gestaret crucem, et an Christianus esset? Sum, inquit, voto atque animo; meque talem esse profitebor, statim atque mihi masculam prolem Deus annuerit; ad firmandam contra tumultus, qui suboriri poterunt, regni pacem. Inde ingressus in sermonem ac laudes Divinæ legis, fratrem desiderio ejus amplectendæ succendit. Pauci dies effluxerant; adsunt ab Arimæ Rege bini nobiles, Turrianum rogantes, Arimam ut properet, ac Regem Christiana lege instituat.

Attonitus tam improviso lætoque nuncio pius senex, supplices in cœlum attollit manus collacrymans, et quia valetudine impediebatur, ne Regem ipse conveniret, Ludovicum Almeidam ire jussit. Huic potestas docendi palam populum a Rege facta verbis amplissimis, ad exstruendum templum, Cocinoci, in portu totius regni Arimensis celeberrimo. Quindecim diebus ducenti sexaginta Ecclesiæ aggregati sunt; in iisque portûs ipsius Præfectus, cum uxore ac liberis. Ximabaram

in itinere Almeida lustraverat; est vicina, cum nobili portu civitas. Ei præerat Regum Omuræ Arimæque affinis, cujus unica filia, cum octoginta circiter civibus, Fidei Sacramento initiata est. Templo deinde condito numerus Christianorum brevi ad mille quingentos excrevit.

Religionis progressus in Molucis,

Magnum in Molucis discrimen adierat Ternatino bello Christiana res et Lusitana. Utraque refloruit adventu Henrici Sa, ducis Lusitani, cum quo sex homines Societatis Amboinum ineunte hoc anno feliciter attigerunt. Ibi Christianam rem et publicam diris vexabat modis, insignis sicarius, regium sibi nomen ausus arrogare. Comprehensus et metu supplicii primum, deinde legis divinæ amore ad baptismum adductus, mille quingentos indigenas exemplo traxit. Ea res Mahometanorum opes, qui arctissimo fœdere cum isto nebulone juncti erant, fregit; eversum est illorum fanum, cum ethnicorum delubro. Denique unius anni spatio ad decem hominum millia in insulis Molucis Christi Ecclesiam ingressa narrantur.

in Mauricis,

Ex Amboino ad Mauricas insulas profecti Patres, intestinum bellum, quo ardebant omnia, primo aditu restinxerant. Incolæ, conspectis longo intervallo carissimis magistris, abjecerunt arma, seque in ipsorum futuros potestate confirmarunt. Restabat interim altera pars belli et terroris a præpotente Mahometano. Ille præter omnium spem e lupo in ovem mutatus, venit ad Patres cum ingenti

comitatu et : Quid opus armis? ait, fratres esse vestri et Christiani omnes cupimus! Tum ad suos conversus : necessaria est, inquit, ad salutem Christiana lex. Hanc hodie profiteor. Vos, quibus animus est me sequi, discedite in hanc partem; cumque omnes discessissent, addidit : videte quid suscipiatis! vobis adhuc in integro tota res est : ceterum, si quis susceptam semel fidem abjiciat, capite perfidiam luet. Universi exclamarunt se volentes ac scientes Christianam complecti legem, et ad supremum usque spiritum servaturos. Itaque, summâ Patrum lætitia, sacro fonte respersi sunt.

et in vicinis insulis.

Celebis insula Molucis vicina, faustis S. Francisci Xaverii sudoribus rigata, non pœnitendos Christianæ fructus pietatis efferre pergebat; cum Rex Ternatinus comparavit classem, ut vi et armis Celebitas ad Mahometanam impietatem compelleret. Patres consilia nefarii Principis disturbarunt; Christi cultores, qui versabantur in insula, confirmarunt in suscepta religione; ethnicorum paucis diebus, mille quingenta capita, una cum Rege, vitalibus lymphis abluerunt.Rex Ternatæ his auditis numerum et opes Christianorum reformidans, consilium vexandæ bello insulæ deposuit. Patres, Cauripam, e sex regnis celebitanis unum, ingressi, ad duo hominum millia salutis Sacramento munivere. Mahometani Celebem omittere coacti, ad alias insulas arma impia conatusque vertere. Multæ sunt in hoc maris tractu minores

insulæ, nulli subjectæ Principi, sed sui singulæ juris : illarum pars ad Christum a Patribus jam conversa fuerat. Præcipuum Christianorum oppidum Altiva dicebatur; hoc Mahometani obsident; agros late populati, oppido potiuntur. Coacti subducere se fuga cum Lusitanis Patres, summo animi dolore multa Christianorum millia in Japonum faucibus destituerunt. Non levi tamen solatio illos affecit neophytarum constantia, non solum in retinenda Fide, verum etiam in crudelissima nece perferenda. Hujus, cladis dolorem etiam lenivit Bengaïci Regis filius a parente Ternatam missus, ut Christianorum ac Saracenorum moribus institutisque perspectis, utra magis arriderent, sequeretur. Sapiens juvenis Christiana delegit, et patrem ad eadem amplectenda perpulit.

Annus Christi 1563 : Societatis 24.

Dum barbaris in Asia regibus Christi regnum auget Societas, aucta est novis in Europa provinciis ac domibus. Castellana Hispaniæ provincia in Castellanam et Toletanam est divisa. Divisa pariter in duas Provincia Germaniæ superioris; una retinuit nomen Germaniæ Superioris; altera Austriæ Provincia est appellata. Germaniæ Superioris provinciam conflarunt Collegia Monachiense, Ingolstadiense, OEnipontanum, et Dilinganum. Austriæ provinciam Viennense, Pragense, ac Tirnaviense. Similiter Germaniæ inferioris Provinciam in binas

Provinciarum partitio in Hispania et Germania.

partiri aliquanto post placuit, unam quæ Rhenana diceretur, attributis illi collegiis Trevirensi, Moguntino, et Colonienſi; alteram, quæ priscum Inferioris Germaniæ servaret nomen cum collegiis Lovaniensi, Tornacensi et Cameracensi, duobusque Antverpiæ ac Dionanti domiciliis in collegia brevi formandis. Magnum Provincia Germaniæ Superioris ornamentum accepisset ab Augustano collegio, si Otho Cardinalis Augustanus rem conficere secundum sua vota potuisset: nondum benevolis maturum consiliis tempus erat. Itaque Dilingam, in urbem suæ ditionis, et Augustani Episcopi vulgo sedem Socios arcessivit. In eadem urbe insignem evexerat academiam, sive studiorum Universitatem, cujus partem anno sequenti, ac totam denique MDLXIV Societati tradidit. Aliquid litis ortum erat, et ultra annos quadraginta agitatum, eo quod Canonicorum assensus ad voluntatem Cardinalis non omnium accessisset. Molestam litem, quæ in magnas altercationes hinc atque inde eruperat, plane composuit MDCVII *, Henrici Knoringerii, Augustani antistitis sapientia, qui Canonicis in eamdem sententiam perductis et conciliatis, effecit ut Academiam Dilinganam, quam optimo jure Societas in perpetuum possideret.

Dilingana Academia.

* *Hist. Soc. p. V. lib.* 15. *n.* 23. *p.* 306.

Non privata unius collegii aut Academiæ causa, sed publica religionis utilitas agebatur in conventu OEnipontano: cujus convocandi occasio hæc fuerat. Instabant Cæsaris administri ut propo-

OEnipontanus Conventus.

nerentur Concilio Tridentino capita quædam invidiosa, et parum consentanea libertati Concilii, ac Pontificis auctoritati *. Ea priusquam ad Concilium dijudicanda referrentur, censuerat Cæsar examinanda esse in privato theologorum consessu, quos idcirco OEnipontem convocaverat. Haud temere creditum est, inquit Commendonus, Divinæ providentiæ singulari beneficio contigisse, ut Canisius adesset hoc in cœtu, vir spectatæ probitatis et doctrinæ, ac notæ in tuenda auctoritate Pontificia constantiæ. Addit Gratianus (ille Commendono erat ab epistolis) conatos esse Doctores aliquos Canisium, quem ait sanctitatis opinione non vulgaris floruisse, in suam perducere sententiam : at illum semper iis obstitisse pari modestia, et fortitudine. Neque vero satis habuit veritatis et justitiæ causam in privato consessu defendere, eamdem egit apud Cæsarem, qui ejus potissimum oratione permotus urgere negotium destitit. Quod ubi Pontifex cognovit e litteris Cardinalis Moroni, Canisium de Romana sede optime hoc facto meritum palam prædicavit, et arcessitum confestim S. Franciscum Borgiam amantissime complexus, illi quæ gesta prudenter, et fortiter a Canisio fuerant singillatim edisseruit.

* *Pallavicini l. 20. c. 4.*

Aliam haud minus utilem aliquanto post eidem Concilio Tridentino Canisius navavit operam. Accesserat operi tanto manus ultima. Concilium denique absolutum erat, summa totius Orbis

P. Canisius navat operam promulgando Concilio.

Christiani gratulatione. Angebat interim Pontificem cura quemadmodum deferretur ad Germaniæ Principes, et in mores induceretur. Circumspicienti anxie cuinam hanc provinciam demandaret, unus omnium ad eam rem maxime idoneus occurrit Canisius, cujus auctoritas ibi præcipua, et cognita diu cum eruditione virtus. Ergo Nuntii Pontificii nomine ornatum proficisci statim jubet. Nihil cunctatus adiit Imperii dynastas, et ad Synodum promulgandam, ac morem ejus decretis gerendum induxit. Simul iis vias suggessit, quas ad amplificandam tutandamque religionem censebat aptissimas : neque ipse cessavit, toto quam longum fuit itinere, hoc ipsum agere strenue, etiam inter Principes hæresi deditos; et religionis causam crebris concionibus, aliisque artibus Apostolicæ charitati usitatis, promovere. Coloniensis Senatus, illo suggerente, sanxit præter cetera, ne quis ad docendum admitteretur, cujus suspecti mores, aut religio forent; ne libri abhorrentes a doctrina catholica vulgarentur; ne quis Lutheranum, aut Calvinistam, aut alienæ cujuslibet sectæ ministrum hospitio exciperet. Academia pariter oblatum sibi a Canisio exemplar Concilii Tridentini amplexa, edixit ne quis in posterum doctoris insignibus et nomine ornaretur, quin prius e concepta formula professionem catholicæ religionis ederet. Id quod Pontificio deinde confirmatum decreto, ad alias Orbis Christiani academias manavit.

His præsidiis religio muniebatur in Germania : non levioribus egebat in Belgio: et nobilissimæ regioni subvenire Societas jampridem cupiens, apertum sibi gratulata est aditum in urbes clarissimas, Tornacum, Antverpiam et Cameracum. Primordia collegiorum

Tornaci, anno superiori, Collegium inchoatum erat, quod primus rexit Joannes Mortagna, dudum jam ea in civitate versatus. Assensum Lainii petiverant, cum adhuc Parisiis versaretur, sumptusque destinarant Episcopus, civitatis Magistratus et Canonici; Abbates quoque S. Martini et S. Nicolai; adhæc Carthusiani Patres et privati quidam civium. Nec modo scholasticorum doctrina, sed etiam convictorum disciplina suscepta. Et mox ea transiens Natalis elementariorum informationem adjecerat; nihil ut opis omitteretur elidendis hæreticorum conatibus. Tornaci,

Anno etiam superiore Lainius e Gallia proficiscens ad Synodum Tridentinam, transiensque per Belgium, Antverpiam diverterat; oratus a civibus, nec non ab Hispanis et Lusitanis, in hoc emporio celeberrimo negotiantibus, ut ipsis aliquot Societatis homines impertiret, promisit; et hoc anno promissum exsolvit *. Sunt quibus placeat incunabula domicilii Antverpiensis, inde usque a S. Ignatio repetere, cum Lutetiâ identidem ad amicos excurrebat in Belgium, a quibus et excipiebatur domi, et pia liberalitate juvabatur. Antverpiæ,

* *Hist. Soc. P. II. lib. 7. n.° 55.*

Cameracense collegium petitum a Maximiliano de Bergis, Cameracensi antistite, promissum similiter Cameraci,

a Lainio fuerat, in itinere; eodem apertum hoc anno fuit, sed varia subinde fortuna conflictatum est. Cum enim civitas anno MDLXXX in perduellium manus incidisset, Socii Duacum fugere coacti sunt. Reddita Hispanis urbe, anno MDXCV, Collegium Societati redonatum fuit; pristinus tamen litteris splendor ante annum MDCIV non rediit.

Trigueri, Trigueri in Bætica susceptum itidem collegium fuit anno superiori, fundatore Francisco Palma, Clerico, et cive Triguerensi, et frequentatum est præsenti anno. Mantuanum pariter a Cardinali Hercule Gonzaga, Episcopo Mantuano, designatum, et subinde constitutum. Gaditanum nunc simul enatum, dein pene suis in ruinis sepultum est, cum urbem occupassent Angli anno MDXCVI, brevi tamen pulsis hostibus reparatum. Anno demum post Gaditanum, emersit in eadem Bætica Marcenense, fundatoribus Duce de Arcos et Maria Toletana ejus conjuge.

Mantuæ,

Gadibus,

Marcenæ.

Sors collegii Parisini, et Non militum telis, sed æmulorum stilo et invidia Parisinum vexabatur. P. Pontius Gogordanus amplas ædes in ingenti prope Dominicanos area molitus erat; et arcessiti præstantes magistri litterarum initium docendi fecerant, insigni frequentia discipulorum undique concurrentium. Utque collegii exercitationes plus firmitatis haberent atque auctoritatis, data fuerat opera ut nostri in Academiæ Parisinæ corpus et privilegia cooptarentur. Id facile impetratum ab Universitatis Rec-

tore Julio Sangermano, quemadmodum patet ex ejusdem litteris scriptis Lutetiæ, Nonis Februarii MDLXIII. Qui Sangermano successit, Academiæ moderator, aliique nonnulli professores, collegio bellum indixerant. Dux illorum Petrus quidam Ramus, palam Calvini studiosus, et eam ob causam cæsus postea Parisiis in promiscua Huguonottorum strage. Ac primo quidem accusatus fuit ab iis P. Joannes Maldonatus, quasi de purissima B. Virginis conceptione perperam aliquid docuisset. Hunc enim æquis videre oculis non poterant, et numerosam ejus scholam trecentis, quia locus non capiebat plures, refertam auditoribus, iisque doctoribus theologis, præsulibus, senatoribus, aliisque passim nobilibus. Causa Romam est delata. Gregorius XIII ei cognoscendæ præfecit Petrum Gondium, antistitem Parisinum, qui omnibus diu multumque perpensis, Maldonatum insontem pronuntiavit. Doluerunt adversarii conjecta in Maldonatum tela irrita cecidisse : alia melius amentata in totum collegium torserunt. Ipsorum præcipui conatus in sequentes annos erupere. Interim collegii Mauriacensis jacta sunt fundamenta, uti cautum fuerat testamento Episcopi Claromontani. Nec diu tamen incolume stetit. Expugnata enim ab hæreticis urbe, Societati litterisque irrogatum exilium, nec nisi anno demum MDCV revocata Societas, secum litteras Mauriacum reportavit. Mauriacensis.

Romam redit P. Generalis, Jac. Lainius.

Post absolutam Synodum Tridentinam Lainius ad Urbem rediens, Patavio et Venetiis, Anconam petiit, et usque Lauretum Adriaticas oras legens, obvia Collegia inspectabat. Per quas incessit urbes, in singulis ferme confertissimas conciones in principibus templis et Collegiorum nostrorum affari coactus est. Privatis quoque sermonibus plurimum ubique profecit, quód pro fama rerum in Gallia Concilioque gestarum; pro persona quam sustinebat; multoque magis, quod Divinæ bonitati placebat viro piissimo uti, dicta ejus, vel pauca, vim ingentem habebant. Romam redux Franciscum Borgiam, qui Vicarii Generalis, eo absente munus gesserat, creavit assistentem Italiæ, Ludovici Consalvii loco, in Lusitaniam missi, ad formandam Sebastiani Regis pueritiam.

Legatio ad Imperatorem Sinarum irrita.

Quo tempore Lusitani aditum ad Sinarum Imperatorem rursus tentandum putaverunt. Concessum illis fuerat Macaum, oppidum in exigua insula Gauzama, e regione Quantuniæ, quæ provincia imperii Sinici meridiem versus occasumque porrigitur. Ea ex insula in littus et vicina oppida digrediebantur interdiu, ad dividendas indigenis Europæas merces : at noctu se in naves insulamve recipiebant. Ea lex illis imposita. Locum aliquem in Sinensi continente ut impetrarent, legationem adornarunt ad ipsum Imperatorem. Addiderunt se legatis Patres Franciscus Petrius, Emmanuel Texeira, et Andreas Pintus, causam religionis, si

qua occasio daretur, acturi. Legatio, propter solitas Sinarum exteris diffidentium suspiciones, admissa initio non est; neque penitus admittenda videbatur, nisi Mandarinorum severitatem felix casus, et perspecta Lusitanorum virtus expugnasset. Maritimi prædones littus Sinicum populabantur, prædas abducebant in oculis indigenarum, ac molestiæ plurimum damnique afferebant. Eos Lusitani præliis aliquot non improspere confectis abegerunt. Tum vero Sacerdoti Societatis, itemque uni e Lusitanis primoribus, potestas data Cantonium, urbem Provinciæ primariam, veniendi, et quid peterent explicandi. Processere in Mandarinorum consessum. Sacerdos noster se Europæum Litteratum esse professus; postulavit ut liceret sibi, quamdiu ipsis videretur, habitare in provincia, et cum Sinensibus litteratis, de quorum sapientia sæpius audierat, habere sermonem. Quæsivere de doctrina quam profiteretur? Quibus ille : Doceo, inquit, Deum unum venerari, cœli terræque conditorem; mutuam inter homines fidem, et amicitiam colere; nullius corpori, bonis, aut famæ damnum inferre. Doctrinam excellentem tanto impensius laudaverunt, quanto minus illam in hominem exterum cadere posse arbitrabantur. Addiderunt aliquid muneris; ad extremum negarunt Sinarum legibus potestatem fieri posse, peregrinis hominibus intra Imperii fines habitandi. Sic Macaum irrito incœpto legati se retulerunt.

P. Joannes Ribera furtim tentandum ratus quod palam negabatur, Sinensi naviculario persuasit ut se clam in urbem Quancheum importaret. Jamque ultra civitatem hanc processerat, cum a Lusitanis Macaensibus, ne res ea sibi fraudi foret metuentibus, Macaum revocatus est.

Dum pedem in Sinense imperium inferre moliebatur nequicquam Religio, jam inter Japones regnabat; steterat hactenus, ut ita dicam, infra fortunæ privatæ limites; annus demum MDLXIII illam solio imposuit. Vocoxiuram accessit cum lecta nobilium manu Sumitanda, rex Omuræ, et arcessito Turriano : voti me compotem, inquit, Deus fecit; auctus filio sum; nil est in me moræ, quin Christum palam profitear, sacro expiatus fonte. Turrianus regis amplectens genua, obortis præ gaudio lacrymis, ejus pietatem et constantiam collaudavit, diemque posteram baptismo destinavit. Summo deinde mane adfuit postridie in templo, sacerdotali amictu indutus, et inter duos Societatis homines, pari cultu vestitos, medius. Subiit rex, et procidens humi, Fidei Symbolum clara voce recitavit; mox baptizatus Bartholomæi nomen sumpsit. Cœlesti pariter lavacro tincti fuere nobiles triginta, ejus comites, de quorum fide et constantia Rex vadem se ac sponsorem Patri obtulit. Inde mutatus in alium quodammodo virum, et cœlesti lætitia, qua Spiritus Sanctus credentium animos perfundit, delibutus, Christum spirare

Rex Omuræ, primus Japoniæ regum baptizatur etc

cœpit unice, ac loqui : nec temperare sibi potuit, quin ardorem intimo pectore conceptum foras efferret, quamvis inflammandam ethnicorum prospiceret rabiem ac præsertim Bonziorum. Per eos enim dies ejus fratri, Regi Arimæ, grave bellum inciderat adversus perduellem dynasten. Auxiliares fratri copias duxit. Mantiffenus, celebri apud Japones idolum est, belli Deus, armorumque præses, et Gradivo Romano simillimus. Hunc pingunt gigantea forma, casside armant, cui gallum gallinaceum, bellicosam nempe alitem, imponunt, alis expansis, et porrecto longe collo. Hoc numen Reges cum ad bella gradiebantur, colebant impense, deque belli exitu consulebant. Præter ejus templum decurrebant armatæ cohortes; miles pro valvis toto corpore prosternebatur supplex, armis humi positis, et signiferis vexilla submittentibus. Ante fores hujus templi Rex Omuræ equo provectus, purpurea chlamyde insignis, quam nomen Jesu sanctissimum auro intextum, ornabat; exercitum stare, idolum dejici, et raptari jussit; mox galeam simulacri, gallumque gladio decutiens, giganteum diffidit caput, reliquam molem comburi cum templo voluit, et in ejus locum erigi prælatam crucem, cui prostratus ipse cum exercitu, honorem habuit. Timida plebs, idolis dedita, infelicem belli exitum ominabatur; id Bonzii furentes imprecabantur : optatissimus fuit : composita pax, ac dynasta perduellis ad obsequium revocatus.

Sumitanda, mortali hoste liberatus, bellum dæmonibus indixit, missis cohortibus, quæ fana idolorum toto regno everterent. Ferebat hoc molestissime uxor ejus Camisama; sed hanc demum expugnavit, et Fidei Sacramento expiandam per accitum ex urbe Vocoxiura Turrianum curavit. Ipse interim eximium pietatis regiæ documentum dedit. Festum quoddam in mortuorum honorem Japones celebrant sextili mense. Persuasum habent dari singulis annis eo mense biduum animabus, quo revisant parentes et amicos; eamque ob rem certum in pagum universas congregari. Sub noctem pergunt hunc in locum, mensas dapibus opimis instruunt, quibus scilicet reficiantur animæ, longa defatigatæ via. Post paulo redeunt eodem, et animas in urbem, ac suas quamque in ædes invitant, facesque multas præferunt, ne per tenebras impingant, ut aiunt, aut incertæ vagentur. Ad levandam autem illarum, ubi hinc discesserint inopiam, pecuniæ vim ingerunt in manus Bonziorum, animabus illic numerandam, exhibita syngrapha per Bonzios exarata.

Rex animas alia ratione sublevandas intelligens, quinque sexve pauperum millia publico epulo accepit, summa populi approbatione, ac luctu Bonziorum incredibili; qui raptam sibi solemnem prædam frementes, de perdendo Rege, ac P. Turriano, conspirant. Adsciscunt in scelerati consilii societatem duodecim proceres. Turrianus

per occasionem baptizandæ majori apparatu Reginæ, ac metandæ templo areæ, Omuram ex urbe Vocoxiura evocandum norant : eo cæso, Regem comprehendere, urbem incendere, constituunt. Illuxerat dies XVI Cal. Septembres impio facinori destinatus : nam eo die se venturum Turrianus promiserat. Verum, Deo senem optimum servatum volente, negavit se, ob negotia quædam domestica, proficisci posse, nisi postridie. Dynastes, missus Vocoxiuram ut eum adduceret, rediit cum suis Omuram, ut Regem faceret certiorem de dilato in crastinum Patris itinere. In hunc dynasten et ejus comites, inter quos Turrianum esse conjurati non dubitabant, pars, quæ viam obsederat, impetum facit, et omnes obtruncat; altera pars quæ restiterat in urbe, faces domibus injicit, et infandam nullo discrimine civium stragem edit. Rex, incenso palatio, erumpit, et medios per ignes, ac densa perduellium agmina, viam ferro secans, evadit primum in sylvam, deinde in vicinam arcem. Eodem tempore conjurati reliqui Arimam occupant tanta celeritate, vix ut spatium ac tempus fugæ præcipitis Regi Arimæ datum fuerit. Sic idem dies fratres duos ac reges, urbe regia pulsos, et a Religionis Christianæ hostibus momento propemodum oppressos, vidit. Instant scelerati, et arcem, in qua Sumitanda se receperat, terra marique obsident. Simul denuntiant, salvum ipsi regnum et caput fore, si Christianam ejuret

Ethnici cum Bonziis conjurant.

legem, ejusque amplectendæ copiam populo nullam deinceps faciat; restituat Deorum templa, Patres Societatis Omuræ finibus amandet, ædesque sacras evertat. Rex eripi sibi regnum posse respondit, Fidem non posse : sibi regis nomen vilius esse, quam Christiani, et Crucem sceptro potiorem. Efferati responso perduelles urgent obsidionem, fossas ad arcem obliquas propius ducunt, tormentis quatiunt mœnia, insilire copiis omnibus parant. Sumitanda ducis egregii et militis explebat partes; nunc hostem imbre telorum submovere; nunc fatigare crebris eruptionibus; ejus opera, machinasque disjicere. Verum diu par esse tot hostibus non poterat : illum annona, milites, omnia deficiebant, præter animum et fiduciam opis Divinæ. Hæc miris modis præsto fuit.

Dux conjuratorum erat Xengandonus, Regum Arimæ et Omuræ pater. Odio religionis patrem se oblitus esse, filios insectabatur, seque ipsorum hostibus socium obtulerat. Ubi tamen vidit perituros, cum omni familia, revixit paternus amor. Cum præcipuis conjuratis magna mercede paciscitur, ut commisso prælio ad obsessos transfugiant; statim rem totam Sumitandæ significat, monetque ne dubitet pugnam conserere. Ille haud cunctatus, cum omnibus copiis ex arce prorumpit. Concurritur. Pars conjuratorum major et potior transfugit ad obsessos cum Xengandono, et in obsidentes signa convertit. Attoniti ac destituti

funduntur. Terror undique, fuga, internecio. Sumitauda Victor pergit Arimam, urbem, conjuratis aut pulsis aut cæsis recipit, ac fratrem in regnum restituit.

Annus Christi 1564 : Societatis 25.

Tristem hic annus ingressum habet, tristem exitum. Funestavit ejus initium luctuosa mors P. Petri Venusti; finem reddidit acerbum obitus Præpositi Generalis Jacobi Lainii.

P. Venustus a Sacerdote interfectus.

P. Petrus Venustus, collegii Bibonensis in Sicilia Rector, Sacerdotem libidinosum omni officio demereri conabatur, ut eum ab alea vitiisque gravissimis revocaret. Nullis ille monitis, nullis objurgationibus, beneficiisque flectebatur. Cum exempli fœditas, eo gravior in Sacerdote, quo sanctior vita esse debet, magnam in vulgus haberet offensionem; dux Bibonensis de illo in carcerem includendo cogitavit, ut hominem vel emendaret pœna, vel custodia oculis populi subduceret. Sensit improbus, et id consilii ortum a collegii Rectore suspicans, ex urbe discedentem observat, caputque triplici vulnere diffindit. Superfuit aliquot horas Venustus; at Sicarium ut indicaret adduci numquam potuit. Necem indignissimam consolata est ejus causa. Consolatus etiam est multorum insignium virorum ad Societatem accessus, qui unius jacturam abunde compensarunt, et fundata per idem tempus domicilia non pauca.

Collegium Avenione,

Prolegatus Avenionensis, Alexander Cardinalis Farnesius, probante atque urgente Summo Pontifice, civitatis vota, quæ P. Ludovici Codretti concionibus, ad Societatem arcessendam exarserant, feliciter promovit. Emmanuel Philibertus Sabaudiæ Dux, Collegium Camberii ponendum obtulit; quod quidem hoc anno acceptum, postea confirmatum, et ex angustiis natalibus eductum fuit anno Christi MDLXXI.

Camberii.

Aquitaniæ Provincia.

Hæc duo collegia causam dederunt Francicæ Provinciæ dividendæ in duas: unam cui datum Aquitaniæ nomen est, attributis illi Collegiis Tolosano, Rhutenensi, Turnonensi, Lugdunensi, Avenionensi et Camberiensi : alteram, cui mansit nomen pristinum Francicæ Provinciæ; idcirco ab initio illi impositum, quia complectebatur eam Galliæ partem, quæ proprie Francia, sive insula Francica dicitur. Assignata sunt illi collegia Parisiense, Billomense, Mauriacense, et Virodunense, quod tunc temporis oriebatur.

Collegium Bransbergæ.

Cardinalis Hosius, Episcopus Varmiensis, Bransbergam, urbem Borussiæ modicam, sed non ignobilem elegit, ubi Societati collocaret. Præter opportunitatem urbis, quæ Varmiæ vicina, et advenarum concursu frequens est, invitabat etiam cœli salubritas, litteris amica. Additum est Collegio contubernium puerorum, quod nobiles convictores, ex utraque Polonia et ex Lithuania, statim impleverunt.

P. Andreas Boccatius, oriundus e Frisia, cum in eam regionem excurrens, penuriam sanæ doctrinæ perspexisset, impetravit a curia Bruxellensi regiæ Majestatis nomine diploma quo potestas ei fiebat scholas, ubi vellet, aperiendi. Jamque, cum patribus quatuor domicilium fixerat in civitate Snecana, atque docere cœperat; cum urbis Senatus, hæreticorum rogatu, mulctam pronuntiavit: si quis liberos ad scholam Societatis mitteret. Boccatius Ilstam, in eadem provincia se recepit, ubi tamen cum Sociis nonnisi aliquot annos inter summas ærumnas in statione mansit. P. Andreas Boccatius in Frisia.

Collegium Rheginum in Calabria inchoatum, Siculæ primo, deinde Neapolitanæ Provinciæ contributum fuit. Catacense in eadem Calabria olim designatum; anno deinde MDLXIX constitutum, atque demum MDC stabilitum firmius fuit liberalitate feminæ piissimæ Juliæ Zaccoviæ, ejusque filiarum. Calarim in Sardiniam advecti fuerunt e nostris decem, accitu Consulum, Proregisque Alvari Madrigalis, qui Idus Novembres collegio fundando destinarunt. Collegium Rheginum, Catacense, Calaritanum,

Alexander Cardinalis Farnesius haud semel de advocanda Parmam Societate deliberaverat. Verum Octavius Dux Parmensis, ejus frater, imbutus falsis de nostro nomine et instituto rumoribus, obstabat. Octavio unice carus erat Jubartus Sancti Vitalis, Comes Salæ. Is in morbum incidit, depositusque a medicis P. Joannem Gurream, Parmense.

Mutinensis Collegii Rectorem Parmam arcessivit. Qui cum dies noctesque Comiti præsto diu fuisset, ea virtute ille commotus, edito jam testamento codicillum adjecit, quo Mutinensi Collegio certam pecuniæ summam legabat. Id ubi rescivit Gurrea, obtestatus est Comitem, eumque pervicit, ut nihil Collegio quacumque tandem ratione, legaret. Miratus modestiam Comes, et rem Octavio denarrans. « En, inquit, istos homines, quos aiunt captare morientium hæreditates, ac testamenta sectari! Hinc de ceteris, quæ in illos jactantur, conjecturam facias licet. » Perculsus hac oratione Octavius Gurream arcessit, veniam petit quod hactenus de Societate secus ac debuisset, existimaverit, obstiteritve ne Parmam subiret : neque ullam interposuit moram, quin missi Roma Socii Parmam sexto nonas Octobris anni MDLXIV convenirent. Adeo suis commodis melius illi consulunt qui eadem pie et in loco negligunt.

Pius IV, cur a Societate abalienatus.

At Romæ grata Societatis tranquillitas in magnam subito perturbationem evasit. Inter sacri Collegii Purpuratos Patres, qui Francisci Borgiæ consiliis utebantur et exemplis, erat Carolus Borromæus, arcta cum illo benevolentia, et familiaritate conjunctus. Ac illa quidem initio delectabatur Pontifex, nepotis pietate lætus, moribusque sanctissimis. Itaque plurima suæ in Societatem paternæ benignitatis documenta dedit, atque illud præ ceteris insigne cum Rodulpho Pio Cardinali

Carpensi mortuo *, quo Protectore Societas utebatur, nullum illi subrogari voluit : se Patronum Societatis Protectoremque fore dictitans.

* 2 *Maii, anno* 1564.

Idem Pontifex de Seminariis, uti præscriptum a Synodo Tridentina fuerat, instituendis serio cogitans, et æquum esse arbitratus, ut Roma ceteris urbibus catholicis præiret, Romanum Seminarium condere, illiusque curam Societati mandare, de Cardinalium, quos huic negotio præfecerat, sententia decrevit. Exortæ continuo multorum querelæ, omnia deferri ad Societatem vociferantium; ejus carpentium doctrinam; ambitionem et avaritiam eidem objectantium. Hæ voces auribus Pii IV allapsæ sunt, cum is a Societate paulo esset alienior, ob eam causam, quod ipsius nepos Cardinalis Borromæus auctore, ut ferebatur, P. Ribera, severiorem, quam ejus ætas et conditio ferre videbatur, virtutis iniret viam, et inania respuens oblectamenta, totos dies litterarum ac pietatis studio daret. Quid quod, relicta Roma et Pontifice, ad Mediolanensem Ecclesiam, cujus imposita fuerat illi cum Archiepiscopatu cura, per se administrandam, proficisci omnino velle dicebatur. Hæc plerisque non placebant, qui suas spes e juvenis principis liberalitate habebant suspensas; ac ne ipsi quidem Pontifici, qui nepotem ægerrime sibi eripi patiebatur, in quo magnum senectutis suæ præsidium ac solatium collocaverat. Itaque Patribus edici jubet ne se inscio, Borromæum alloquantur,

et acerbius aliquid contra Societatem designaturus ferebatur. Hoc odorati Patrum adversarii, omnibus veluti copiis eos adoriuntur : nec dubitarunt coram delectis a Pontifice Cardinalibus jurati affirmare, prorsus vera esse omnia quæ criminosis libellis vulgaverant : sed nocuit ipsis impotens et inconsideratus nocendi ardor. Quo plura et atrociora jactabant, eo minorem fecere fidem : et singula propius inspiciendi curam Cardinalibus injecerunt. Qui criminibus expensis, falsa, fictaque omnia deprehenderunt. Pontifex accusatorum perfidiam graviter tulit, nec inultos abire passus esset, nisi Borgia Lainiusque iratum placare sedulo studuissent. Ab iisdem cognovit qua ratione cum Cardinali Borromæo se gessisset P. Ribera; qui per eam occasionem a Lainio facilius impetravit profectionem in Indias, antea sæpe frustra postulatam, et Roma discessit. Patrum oratione, atque adeo moderatione et patientia; simul etiam accusationum perspecta falsitate, illis omnino conciliatus Pontifex Romani Seminarii procurationem Societati demandavit, ac famosa scripta in eamdem a malevolis edita, post institutam accurate quæstionem, non condemnavit solum, sed datis ad Cæsarem et Principes alios litteris, refutavit. Operam quoque Societatis adhibuit, ad Concilium Tridentinum Arabice convertendum, ut in vastissimas Orientis regiones spargi posset : ac tunc primum Arabica Romæ chalcographia, Societatis studio, sumpti-

Accusatorum malam fidem deprehendit Pontifex.

bus Pontificis, instituta est. Synodum P. Joannes Baptista Elianus Arabico sermone donavit.

Mediolani, Collegium et Domus Prof.

Præterea, cum sanctissimus Cardinalis Borromæus Collegium Mediolani fundandum suscepisset, diplomata duo conscripsit idem Pius IV: unum ad Senatum urbis, alterum ad gubernatorem; ambos graviter cohortans ad Societatem accipiendam. Etsi neuter excitandus erat, qui perinde ac universa civitas flagrabat cupiditate negotii quamprimum conficiendi. Cardinalis triginta Socios postulavit. Ab iis Collegium statim est inchoatum, quod post annos octo amplificatum, vel potius novum de integro conditum fuit, per istam occasionem: Humiliatorum Ordo, circa annum millesimum centesimum octogesimum Mediolani exortus, ac per Italiam proseminatus, cum a veteribus institutis descivisset, vixque ducenta capita in centum ferme cœnobiis numeraret, a Pio V sublatus fuerat anno MDLXX. Illi monasterium opportuno loco Mediolani situm habebant, Breram vulgo dictum, Braidam antiqua monumenta vocant. Ibi collegium, et academiam, in qua disciplinæ omnes quas docere Societati mos est, traderentur, Cardinalis Borromæus excitavit, vectigalibus ex Abbatia Aronensi sua petitis; quorum partem ad Probationis domum Aronæ collocandam, seposuit. In eo vero loco, ubi collegium annis octo steterat (ædes Sancti Fidelis appellabatur) Domus Professorum Societatis constituta est,

Domus Prob. Aronæ,

anno MDLXXII, nec ita multo post præparatam a S. Cardinali domum Aronensem tirones habitarunt *. Est Arona oppidum natale S. Caroli Borromæi, ad lacum Verbanum, in Ducatu Mediolanensi. Alteram Probationis domum ante biennium posuerat Camillus Gonzaga, Novellariæ Comes, in oppido suo Novellaria, haud procul Mantua.

* *anno* 1573.

et Novellariæ.

Ita Societas in dies latius propagabatur, quando Lainius terris ereptus, eam sua morte orbam reliquit. Post reditum e Concilio Tridentino varia utebatur valetudine. Cum nihilominus Romæ conciones habere pergeret, eas omittere coactus fuit per sacrum tempus Dominici Adventus, ingravescente morbo, quo sublatus demum est XIV Calendas Februarias anni MDLXV, natus annos LIII. P. Petrus Ribadeneira Ignatium a se non semel auditum narrabat affirmantem nemini e primis Patribus Societatem plus debere, quam Lainio. Neque illi vero tantum Societas plurimum debuit, sed etiam Ecclesia universa, quemadmodum ipse Pius IV non dubitavit profiteri. Eam in Concilio Tridentino, cui ter sub tribus Summis Pontificibus interfuit; in colloquio Pisciacensi; et in aliis Orbis Christiani locis, eruditione ac sapientia defendit, ornavitque. Ingenio erat excellenti, singulari sacrarum ac profanarum litterarum scientia, præstanti ad dicendum facultate. Erat ejus oratio sincera, clara, solida, pressa eadem, et partionibus divisionibusque apte et jucunde

P. Jac. Laines e vita cedit.

Dotes illius.

distincta. Tum apud quoscumque, quadecumque re ageretur, ut locus postularet, non ad docendum subtilior, quam vehementior ad movendum. Quemadmodum e sacris libris, disciplinisque didicerat, vel secum agendum, vel cum Deo et cum proximis; ita plane agebat. Carere perturbationibus dixisses, neque in eum cadere metum, neque cupiditatem humanarum rerum. Apud quosvis ageret, quod loquendum sentiebat, candide excelsoque pronuntiabat animo. In consuetudine graviter comis, et supra modum amabilis, mire sibi eorum, cum quibus ageret, animos adjungebat. Pari ad gubernandum prudentia, humilitate vero in tot tantisque dotibus egregiis, admirabili. Apud viros Principes, cum res cogebat ut iis quidpiam negaret, ea ferme oratione utebatur : se voluntatem illorum interpretari, ut interdum fit in legibus, in quibus non tam spectantur verba, quam mens legislatoris. Sibi esse persuasum eos id velle, quod e majore Dei gloria esset : cui honestissimæ voluntati ut satisfaceret, se petitionis verba minus interim attendere. In rebus gerendis quantum diffidebat sibi, tantum Deo confidebat; ejusque vita, tum privata, tum publica, in his duobus quasi cardinibus vertebatur. Itaque piorum preces et sacrificia impense colligebat; neque segnius exquirebat aliena consilia, et nostrorum quamvis privatorum, et procul absentium sententias indagabat. Ejus egregia vox, de Societatis obtrectato-

ribus et adversariis, celebratur, quam a S. Ignatio pariter usurpatam ferunt : *Deus faxit ne unquam male de nobis loquantur, et vera dicant.* Societatem rexit annis octo, et sex mensibus; eam sex Provinciis, et Collegiis quamplurimis auxit, auctoritate ac doctrina majorem in modum illustravit. Provinciæ tunc erant omnes octodecim, domicilia centum triginta.

Franciscus Borgia, Vicarius Generalis.

Postridie, quam Lainius decesserat, a Professis, qui erant Romæ, Franciscus Borgia Vicarius Generalis creatur. Congregationem ille indixit, habendam post quinque menses, ad duodecimum Calendas Julias; paulo angustiore dato ad conveniendum spatio, quam definiant Constitutiones, quæ sex totos menses concedunt, ne in summos calores incurreret Sociorum iter, quo tempore periculosus in Urbem accessus est. Interea negotium datum Provincialibus, ut in sua quisque Provincia curaret a prudentibus et peritis notanda et perscribenda, quæcumque usu ipso fuissent observata conducere vel gubernandæ Societati, vel obeundis ejus muniis, ut ejusmodi observationibus adhibitis, Congregatio facilius judicaret quid faciendum fugiendumve deinceps videretur.

Viri insignes Lainio coævi in Societate.

Illustrarunt Societatem P. Lainii tempore Alphonsus Castrius, a Mahometanis Catholicæ religionis hostibus cæsus, in Molucis. Alphonsus Cyprianus rebus ad Meliaporam et vicina regna gestis clarus. Annibal Codrettus, itemque Ludo-

vicus Codrettus, Evangelicæ virtutis ac veritatis contra hæreticos in Gallia, defensores acerrimi. Antonius Madridius, dono lacrymarum, efficacitate concionum, mortificationis studio, commendatus. Antonius Possevinus in propaganda tuendaque religione indefessus, in periculis invictus, in Pedemontio, Sabaudia, Galliaque notus. Balthazar Gagus Japoniæ, Bartholomæus Bustamantius Hispaniæ, Benedictus Palmius Italiæ, cultores eximii. Christophorus Rodericius ad Imperatorem in Germania, ad Patriarcham Alexandrinum, et Cophtos in Ægypto cum Joanne Baptista Eliano, ad varias Italiæ urbes gravia ob negotia missus a Summo Pontifice. Consalvus Sylveria, laborum quos in Ora Malabarica, inter Cafros et in Monomotapæ regno pertulerat, mercedem consecutus pretiosa morte. Cosmus Turrianus, Japoniæ Regum doctor, et in Evangelio parens : ejusque Socii et adjutores Gasp. Villela, et Ludovicus Almeida. Edmundus Augerius hæreticorum terror, et servator eloquentiæ Christianæ sua tempestate princeps. Hieronymus Natalis ad inspiciendam in Europa Societatem missus a S. Ignatio ; Instituti nostri scientissimus et servantissimus. Jacobus Ledesma doctrinæ singularis laudem et sanctimoniæ non vulgaris adeptus; Christi Domini ac Deiparæ conspectu colloquioque dignatus. Jacobus Suarius, cui spectata virtus et salutis alienæ sitis nomen Apostoli peperit. Joan-

FATHERS LIBRARY

nes Pelletarius non magis ardore Fidei tutandæ, quam hæreticorum odio nobilitatus. Joannes Polancus, theologus Pontificius in S. Concilio Tridentino, Assistens Italiæ, Societatis secretarius. Ludovicus Consalvius, tam fugitans aulæ Lusitanæ, quam aulæ carus et utilis, itidem ut Michael Turrianus. Nicolaus Gaudanus, in colloquio Wormatiense, in Scotia, in Belgio, diligentis et laboriosi operarii officio functus. Oliverius Manaræus, Franciæ primus Provincialis, prudentia in rebus humanis, pietate in divinis, conspicuus. Paulus Camers, summorum virorum ac præsertim S. Francisci Xaverii existimatione ornatus. Petrus Canisius ad hæresim in Germania debellandam divino consilio datus. Theodoricus Amsterodamius, adjutor strenuus Canisii et imitator.

Nota. *In hoc anno* 1564 *desinit Pars* 2.ª Historiæ Societatis Jesu; *latine conscripta a* P. Francisco Sacchino.

Annus Christi 1565 : Societatis 26.

S. FRANCISCUS BORGIA,

PRÆPOSITUS GENERALIS SOCIETATIS III.

Delecti singulis e provinciis Patres, ad subrogandum Lainio successorem in Generali Congregatione, Romam convenerunt die constituta. Primum omnium Borgia Vicarius verba fecit, idemque paulo post, luce Virgini Elisabetham invisenti sacra, renunciatus est Præpositus Generalis Societatis. Dici non potest quanta contentione pugnaverit vir Sanctus ut summum hunc locum deprecaretur et effugeret. Dignus illo est visus, vel eam ob causam quod illo se indignum judicaret : *Merebatur negando, quod esse nolebat; eoque dignior, quod se clamabat indignum.* Postquam ejus nomen P. Alphonsus Salmeron, Professorum antiquissimus, edidit; laudare omnes, et Societati gratulari : unus ipse sic perturbatus, et stupore quodam defixus hæsit, vix ut pauca potuerit eloqui, ad onus honoremque detrectandum, cui se imparem omnino censebat. Postquam nulla spes affulsit mutandæ Patrum sententiæ; cessit ea se cogitatione ac spe consolatus, futurum ut Societatem suam Christus Dominus ipse regeret, qui ad maxima quæque præstanda, levibus et imbe-

Congregatio 2.ª generalis.

S. Hieronym.

cillis uti soleret instrumentis, ut operis gloria penes ipsum tota esset. Summus vero Pontifex laudata Patrum, in præficiendo sibi tali moderatore, prudentia, palam professus est nihil utilius ad publicam rem Ecclesiæ, nihil ad privatas Societatis rationes convenientius, aut sibi denique acceptius fieri potuisse.

Præter cetera, quæ sunt a congregatis Patribus constituta, decretum fuit ne acciperentur Collegia vel minora justo, vel minus commode fundata, cum utraque gravibus subjiciantur incommodis : ac fere plus obsint Societati, quam prosint; deinde, quoniam nuper Concilium Tridentinum religiosis omnibus Ordinibus, præterquam Capucinorum et Minorum observantium, fecerat potestatem possidendi bona perpetua, et non moventia, placuit abdicari quidquid juris ex eo Concilii beneficio pertinere ad Societatem professam potuisset.

Sancitum etiam, ut sua cuique Provinciæ domus Probationis esset, in qua Novitii biennio exercerentur, a litterarum studio penitus feriati. Ad eam quippe diem dubitatum a quibusdam fuerat, num toto eo tempore cessandum esset a studio litterarum. Disputatum quoque per dies aliquot, num produci orationis meditationisque spatium, ultra quam erat indicatum in Constitutionibus, oporteret. Præpositi Generalis arbitrio relicta res est, qui, pro facta sibi potestate, ad-

didit semihoram : eaque deinceps viguit consuetudo, et a quarta Congregatione imperata fuit. Patres Congregatos Borgia dimittens, tertio nonas Septembris, orationem plenam pietatis insigni humilitate clausit, abjectus humi, et pedes singulorum deosculatus.

Socii missi ad insulam Melitensem,

Statim dignas imposito sibi munere concepit curas. Melitam insulam, ultimum illud relictum divinitus Ecclesiæ contra furores Ottomanicos præsidium, Italiæ munimen, religionis propugnaculum, invadere parabat Solimanus. In tanto discrimine cessandum sibi Borgia, et Societas, non putavit. Præter indictas ubique preces, exarsere Patrum etiam ætate provectiorum, ad expeditionem præclaram obeundam studia, et ad navandam militibus in classe Christiana religiosam operam. Accidit hoc Summo Pontifici pergratum, et ingentibus ex Ecclesiæ thesauro donis eos, qui mittebantur, ornavit. Utilissimam et pernecessariam tulerunt opem non classiariis modo, sed etiam post solutam obsidionem, clarissimis Equitibus, quorum fortitudine repulsus hostis fuerat * post incredibiles quatuor mensium ærumnas, post fulminum septuaginta octo millia, e tormentis hostilibus in fatiscentes contorta muros, post amissa militum quindecim, et nautarum octo millia. Superstitum vulnera consolati Patres, illos ad morum integritatem, tot heroicis consentaneam facinoribus, hortati sunt. Præpositus Generalis

* *Mense Sept.*

Romæ solemnem, quæ Superis pro victoria solvebatur, gratiarum actionem, idonea celebravit oratione; ac majores in posterum Christianæ rei triumphos promisit. Nec vanum fuisse vatem sequens Pontificatus ostendit.

in Calabriam, Non segnius, quamquam diverso belli genere pugnavit ac vicit in Calabria P. Christophorus Rodericius, illuc missus a Cardinalibus S. Fidei quæsitoribus, ut reliquias hæreticorum profligaret. Eorum plerique, ne inter pios soli viderentur impii, simulatione perfida frontem præferebant catholicam, mentem hæreticam retinebant. Isti quoque, manifesto divinæ gratiæ prodigio, simulationem larvamque deposuerunt.

et Poloniam. In Polonia non clam et occultis cuniculis, sed palam incendium hæreseos grassabatur. Ad illud restinguendum Socii pro suo instituto convolarunt, adjuvantibus egregie duobus Cardinalibus, propter doctrinam et virtutem notissimis, Hosio et Commendono. Hosius Braunsbergense Collegium fundaverat. Commendonus apud Regem Sigismundum II legatus Apostolicus, eum invenerat circumventum sinistris contra Societatem rumoribus, adeo ut ejus vel ipsum nomen auribus animoque respueret. Sed cognita per Cardinalem Societatis innocentia, gravissimas litteras promulgavit in ejus gratiam, et Patribus liberum in suas urbes aditum aperuit. Eodem Cardinali auctore atque hortatore varia collegia Poloni præsules

Collegia in Polonia,

annis consequentibus excitarunt. Pultoviense in Masovia, hoc anno, Plocensis Episcopus; Vilnense in Lithuania, anno MDLXIX, Valerianus Vilnensis Episcopus; Posnaniense in inferiori, seu majori Polonia, MDLXXI, Adamus Konarscius; Jaroslaviense vero in Russia Rubra, et Polociense, in Lithuania, anno MDLXXIV, conspirantes cum suis Episcopis civitates posuerant. Addidit postea, anno MDLXXXII, Gregorius XIII Seminarium Vilnæ ad Ruthenos et Moschos erudiendos. Rutheni vocantur his in locis quicumque Græcorum sequuntur schisma. Magnam illi partem Vilnæ, ac templa plurima occupaverant. His permixti Ariani, Judæi, ac Mahometani, errorum tenebras longe lateque diffuderant : quibus discutiendis et privatim et publice insudatum est. Multi doctrinæ deterioris fucum et infirmitatem agnoverunt; præ ceteris Ulricus Hosius, Cardinalis Hosii germanus frater, quem Cardinalis revocare ad Catholicorum partes diu tentaverat. Vicit hominis pertinaciam P. Joannes Varsevitius. Idem Capitaneum Bistricensem expugnavit, qui ab annis viginti Sacramentis, et catholicorum consuetudine abstinebat. Idem Joannem Chotkovicium, primarium exercitus in Lithuania Præfectum, Capitaneum Samogitiæ, ac Livoniæ administratorem post longam dimicationem dare manus veritati coëgit. Cum enim Patres Varsevitium et Hostovinum per quinque horas disputantes in frequenti procerum corona audivisset

et Hæresis oppugnata.

domi suæ, citatos ab iis SS. Patrum locos diligenter exploravit; et æstuantem in iis explicandis Calviniani gregis pastorem, neque aliter, quam jaciendis in Jesuitas conviciis respondentem, exstrusit. Mox coram Cardinali Commendono execratus hæresim, mutatæ in melius mentis monumentum publicum exstare voluit, seque deinceps religionis catholicæ defensorem acerrimum præbuit. Quem cum aliquando rogaret Palatinus Vilnensis, qui hæreticus erat, cur defecisset a Fide, negavit se defecisse : Nam in hanc, ait, quam profiteor modo, fidem, cum fui baptizatus, sacramentum olim dixi. Quæret hic aliquis fortasse unde tanta novæ doctrinæ labes in Poloniam subrepserit, quæ proprium quoddam ac peculiare nominis dogmatisque catholici studium semper præ se tulit? Perniciem hanc inde ortam Annales Polonici tradunt, quod juventus Polona, cum careret domesticis academiis, litteras e Germania vicinisque locis petere cogeretur; cumque corruptis e fontibus venenum hauserat, illud in patriam reportabat.

Per eamdem litterarum occasionem hæretica pestis Galliam afflaverat, cum arcessiti a Rege Francisco I doctores impii veterem inquinarunt et sanam doctrinam. Per eorum alumnos, et quosdam Ordini nostro non amicos maxime stabat ne Societas in Gallia radices ageret. Collegium Parisiense, quod in dies magis magisque florebat,

Procella in Parisienses orta et sedata.

præsertim excisum volebant. Itaque Parisinis Patribus a quibus multa peccari affirmabant, vadimonium denuntiant ad quartum Cal. Apriles. Prodeunt octo valentissimi causidici, qui divisis capitibus accusationis, in Societatem tamquam omnibus regni membris et cœtibus perniciosam declamarunt. Alius pro Rectore et Academia Parisina dixit; alius pro civitatis Parochis; alius Episcopi, alius aliorum jura, quæ Societas attentare dicebatur, defendenda suscepit. Unum tot adversariis patronum, et oratorem; sed eloquentiæ ac probitatis fama spectatum Socii opposuere, qui bonitate causæ armatus, inimicam aciem non sustinuit modo, sed etiam profligavit. Modeste ac leniter exorsus ad conciliandam benevolentiam, laudavit patientiam Patrum, qui maledicta in se conjecta silentio ferrent, nec de sua valde solliciti essent fama, nisi esset cum veritatis ac salutis publicæ defensione conjuncta. Sic ingressus in causam, perspicua quædam et aperta convicia contempsit; tum Societatis incunabula, et Ignatii, cujus adhuc recens in Academia Parisiensi memoria et virtus erat, consilium in Ordine suo fundando, ejus sodales primos, ex eadem lectos Academia; illorum egregios labores, et parem laboribus fructum, gravi oratione descripsit. Mox acriter invectus est in adversariorum vel inscitiam vel perversitatem, qui exitialem ac nefarium dicerent Ordinem a Christi Vicariis Paulo III, Julio III,

Paulo IV, Piis IV et V : ab ipso denique Concilio Tridentino, cui tot doctores Galli, tot Præsules interfuerant, receptum, comprobatum, et ornatum. Ad extremum Societatem in Hispania, Lusitania, Germania, Anglia, Belgio, Italia, Polonia, Hungaria, Indiis, Sina, Japonia, Africa et America, inter catholicos et hæreticos, Turcas et barbaros, nec labori suo ad propagandam religionem, nec sanguini parcentem, ostendit : omnibus demum gratam et utilem ; solis invisam hæreticis et facinorosis. In altera parte orationis refellebat ea quæ objiciebant adversarii. Docuit a Societate nihil pertimescendum Academiæ Parisiensi ; novam hanc familiam non fore populo, ut jactabant, onerosam demonstravit : quippe quæ haberet collegia necessariis fundata vectigalibus, et sacras virtutum perinde ac profanas litterarum opes gratis omnibus impertiret. Sapientissimi Senatores veritate orationis et æquitate permoti, edixerunt ut Patres docere pergerent ; ac si quid gravioris momenti vel periculi videretur, hoc totum ad Regis consilium rejiceretur. Doluerunt adversarii qui Societatem exilio, aut certe perpetuo silentio mulctatam volebant. Ulti sunt dolorem suum probriis, contumeliis, et ædium nostrarum nocturna lapidatione : sed qui æquitate victi erant in foro, iidem in urbe, patientia superati fuere.

Nihilominus de sententia Nuntii Apostolici placuit quempiam e nostris mitti Baionam, ubi

Rex Carolus IX cum Regina matre, versabatur, ut causam Societatis, multorum calumniis et odio præsertim Lutetiæ laborantem, apud eos ageret. Ea provincia P. Antonio Possevino, Avenione tunc degenti, est demandata. Qui cum Instituti nostri rationem omnem Regi explicuisset, obtrectatorum calumnias non difficile refutavit. Societatis vero doctrinam, vel ipso hæreticorum odio scriptisque sanam esse integramque comprobavit. Rex litteras ad Senatum Parisiensem dedit, quibus enixe præcipiebat ut Societatis quieti commodisque consuleret. Utilem aliquamdiu moram Bajonæ Possevinus traxit. Calviniani hanc urbem, in Galliæ videlicet Hispaniæque limitem positam, portu, commercioque florentem, idoneam ad suum late spargendum virus arbitrati, librorum pestilentium ingentem numerum eo comportaverant. Quos ubi ad pompam in singulis fere vicis expositos vidit Possevinus, institit sedulo ut complures libellos gallice contra pestiferam doctrinæ novitatem editos, Cardinalis Armeniacus Baionam mitteret, qui procerum deinde ac populi manus totamque viciniam impleverunt. Dum interim nec voci de suggestu parcit Possevinus, nec ullo cessat loco, data est occasio peropportuna catholicæ religionis commendandæ. Ducebatur in plateam sicarius, ut ibi stratus in ferali rota, necaretur. Concursus ingens e tota civitate, vicinisque locis. Aderat morituro Sacerdos infectus hæresi. Audivit

A. Possevinus ad Carolum IX mittitur.

Possevinus, et ad sicarium propius accedens percunctatur, num expiarit peccata? Negat ille verbum ea de re sibi factum. In ea quippe sunt hæresi hostes veritatis, ut putent neque pœnitentiam, neque Sacramenta, aut ulla opera bona, vivis perinde ac morientibus esse necessaria : sola fide, solis Christi meritis, partam salutem nobis esse; eoque ipso condonari peccata, si quis ea sibi condonata esse credat. Possevinus, objurgato hæretico Sacerdote, qui se deprehensum sentiens, clam aufugerat, reum ad pœnitentiam hortatur, ac theatridium, in quo erat necandus, cum illo conscendens, procidentis in genua confessionem in oculis omnium excipit, et ad pie constanterque moriendum præparat. Hæc aliaque id genus plurima per Galliam vulgata, quantum honoris et gratiæ addebant Societati, tantum audaciæ detrahebant ejus adversariis. Nec parum ad eos cohibendos valuerunt Summi Pontificis litteræ, quibus universam Societatem ac nominatim Parisiense collegium Regi Carolo*, Cardinali Borbonio, ac Senatui commendabat.

* *Pontificiis litteras vide p. 3. lib. 1. n.° 19.*

Collegium Lugdunense,

Lugdunenses experti quantum e Patrum labore colligeret civitas universa fructum, collegium urbanum nobis tradere decreverunt. Obstiterunt nonnulli parum Societatis religionisque studiosi, et propositis conditionibus durissimis negotium disturbare conati sunt. At P. Edmundus Augerius nihil dubitans quin, mutatis temporibus, acerbi-

tas illa conditionum tolleretur, uti reipsa contigit, collegii possessionem iniit. Hoc eodem tempore Nicolaus Psalmæus Episcopus et Comes Virdunensis, tam lætas conditiones nostris proposuit, ut facere non potuerint, quin Virdunense statim collegium inchoarent. Virdunense.

Lovanii, primum tandem in Belgio domicilium ad manum, ut aiunt, emortuam jure translatum est hoc anno, et Franciscus Costerus, in Provinciæ regimine Everardo Mercuriano suffectus, partem domus ad instituendos novitios, assignato eis Præfecto secrevit. At ibidem pie, ac pene immature decessit P. Nicolaus Gaudanus, necdum quinquagenarius; vir doctrina et sanctitate clarus, multisque tum Venetiis, tum Wormatiæ, in Scotia alibique præclare pro Ecclesia Dei gestis. Res Belgicæ.

In Lusitania molestiæ multum fuit non ab academicis, aut novarum opinionum studiosis, verum ab aulicis, et proceribus nonnullis. Regnum administrabat Catharina, Joannis III vidua, donec Sebastianus adolesceret. Illius moribus formandis præerat P. Ludovicus Consalvius de Camara, vir æque prudens ac pius, qui alumni regalis indolem optimam perficere institutione diligenti laborabat, ac juvenilis animi acriores ad bellum impetus temperare. Sed magistri sapientis dictata, irrita plerumque reddebant ephebi nobiles, aliique comites Principis, in quibus deligendis, et in illius familiarem usum adhibendis, non leviter In Lusitana aula Patres vexati.

peccatum fuerat; cum ita ferme accidat ut viri Principes tales sint, quales ipsorum familiares et asseclæ. Ipsa Catharina Consalvii rationem non probabat, neque ullos a Sebastiano libros evolvi cupiebat sæpius, quam de bellis contra Mauros Africanos, a Carolo V fratre suo, gestis.

Eorum in aula agendi ratio;

Inter has educandi Regis adolescentis curas Consalvius præcipuum religiosæ vitæ perfectionisque studium retinebat. Nihil in mensa, cubiculo, cultu corporis reliquo, cerneres ab Evangelica paupertate discrepans : in ipsa demum aula tamquam in cœnobio, versabatur. Eadem aliorum Patrum, qui regiam frequentes adire cogebantur, modestia, humilitas, et severioris vitæ norma. Ita studebant inspirare pietatem aulicis, ut nihil ex aulæ spiritu noxio, et aura insalubri, ducerent, seque intra tectos professionis suæ limites continerent. Nihilominus effugere multorum querelas nequiverunt. Ex quo intelligitur quam sapienter a Societatis moderatoribus provisum semper fuerit, ut nostros ab hoc infido et irrequieto remotos mari cohiberent in placido religiosæ domus portu. Facere tamen Borgia non potuit, quin duas Imperatoris Ferdinandi filias, quarum alteram Dux Ferrariensis ducebat, alteram Franciscus Mediceus, Cosmi Etruriæ ducis magni, filius, totidem Patres comitarentur, qui essent illis a concionibus et sacris confessionibus. Sed hic quoque ingenium aulæ patuit. Querelæ ac sinistri rumores de Patribus

fuere; quasi eorum ductu sponsæ nobiles instar dicatarum Deo in cœnobiis virginum pietatis officia, non ætati suæ, non generi consentanea colerent. Deliberatum erat Borgiæ utrumque Romam revocare. Cum id per Cæsaris filias non liceret, eos saltem monitis prudentissimis instruxit : Ut limina Principum nunquam adirent nisi vocati; ut primam et antiquissimam rationem haberent domesticæ inter conjuges pacis, uxoresque hortarentur, ne quoad fieri sine culpa posset, a maritorum unquam nutu, arbitrioque dissiderent; ut ipsi nihil susciperent negotii a munere suo alienum; ut in omnibus subessent Rectori collegii, quod habitarent, neque ullam munium domesticorum vacationem, aut legum communium exceptionem admitterent.

Monita a Borgia illis data.

His aliisque monitis cavebat Borgiæ prudens sollicitudo ne suis noceret aula. Non erat eadem cautio adhibenda inter Japones, ubi plus laboris et periculi habebat aula, quam illecebrarum, et irritamenti. Et in eam tamen penetrandum videbatur, ut favore Principis nixa religio consisteret adversus nefarios adversariorum impetus, qui tanto erant acriores, quanto videbant illam in dies magis augeri, discipulorum numero et magistrorum. Quippe recens advenerat ex Europa et Asia Sociorum manipulus, quibus suam continuo stationem et Provinciam Turrianus assignavit. Non plures quindecim e nostris in Japonia tunc cense-

In Japonia quot Patres agebant.

bantur, septem Sacerdotes : Cosmus Turrianus, omnium moderator; Gaspar Villela, Ludovicus Froëz, Joan. Bapt. Montius, Melchior Figueredus, Balthasar Acosta, et Joannes Capralis. Octo expertes Sacerdotii, Joannes Fernandius, Ludovicus Almeida, Jacobus Gonzales, Arias Sancius; Laurentius, Damianus, Augustinus, et Melchior, qui postremi quatuor Japones erant. Tum Firandum Balthasar Acosta; Cabralis Tacuximam et vicinas insulas; Montius Bungum curare jussus est; Turrianus cum Figueredo Cochinori consedit : Ludovicus vero Froëz Meacum se contulit ut P. Gasparem Villelam, morbo laboribusque fractum sublevaret. Meacum ingressus est pridie Calendas Februarias, quo tempore Japones proceres in hanc regiam civitatem undique conveniunt ad salutandum Imperatorem ineunte anno. Triplici murorum ambitu cingitur palatium Principis. Primus patet omnibus promiscue : secundum nullus ingreditur, equo vectus, aut pluribus, quam viginti famulis comitatus : tertium nemo subit nisi pedes, et incomitatus; nobilissimis conceditur famulorum par. Ad solium Imperatoris, columnis aureis fultum, in aula ingenti scanditur per gradus septem ex auro solido. Pone illum sedent Regiæ stirpis Principes : a dextra quatuor primarii administri : a læva totidem proceres : circumstat lecta nobilitas. Ipse pulcherrimo tapeti insidet, cruribus decussatis, ut in Oriente mos : auro et

Imperatoris aulæ ratio.

unionibus radiat vestis. Flabellum est in manu, cujus summam partem paulum demittit, accedente viro aliquo principe; cetera immotus et silens, statuæ ritu. Paucis ad illum accedere propius licet; ceteri, quamvis onusti muneribus, adstant procul, taciti et venerabundi. Ausus est P. Villela, fretus et sua apud Principem gratia, et Christianorum procerum favore, in hunc venire numerum, et Ludovicum Froëm Imperatori sistere : ambo quippe existimabant id vehementer ad religionis decus et securitatem pertinere. Accepit utrumque humanitate summa, et gratias etiam pro donis, quæ offerebant, egit. Erant illa scilicet speculum ingens, e purissima crystallo, aliæque artium Europæarum deliciæ.

Ab eo Froëz excipitur.

Patres opinio sua spesque non fefellit. Regia in illis excipiendis benignitas fecit, ut ad eos audiendos multi summo genere nati accederent, qui deinde Christianam amplexi legem, se patronos insignes religionis, et Societatis in eo, qui proxime secutus est, tumultu Japonico, præbuerunt. Eadem quippe tempestate Imperator vita et regno exutus fuit a Mioxindono, et Daxandono, quorum alter fori, alter militiæ Princeps erat. Jam ab annis octodecim regnabat Quonquenindonus, et Imperium æquitate summa et clementia exercebat; omnibus carus, præterquam istis, quos altius evexerat quam Principi tutum esset. Neuter ingentem fortunam ferre potuit. Conscripto exercitu

irrumpunt in urbem regiam, faces ædibus sacris profanisque subjiciunt. Deprehensus Imperator erumpit cum ducentis militibus, et medios per ignes, prosilit in adversos; demum sagittis undique petitus, gladiisque confossus, fortiter cecidit. Ejus mater, uxor, amici, flammis; aut ferro, periere. Restabat unus Imperatoris frater, Cavadonus Voyacata, Bonzius, vitam ab omni disjunctam ambitione agitans in cœnobio. Hunc vivere passi sunt, inutilem rati et innoxium, quem sui tamen sceleris vindicem postea sensere.

Annus Christi 1566 : Societatis 27.

Dum Japonia civili ardebat bello, externum formidabat Germania, quam ferox Ottomanus, pactis induciis stare indocilis, parabat invadere.

In Comitiis Augustanis, Comitia Imperii Augustam Vindelicorum convocantur. Ibi domesticum et metuendum religioni certamen movit Lutheranorum pertinacia, qui necessaria Turcico bello subsidia contribuere omnino recusabant, nisi multa sibi concederentur a

Canisius, etc. religionis rationibus aliena. Eo diligentius enitendum fuit Canisio, Natali, et Ledesmæ, quorum duos postremos Pontifex Legato suo Cardinali Commendono adjunxerat, ut procellam impendentem averterent. Resistendum erat Protestantibus, qui omnia sibi arrogabant; inhibendus Catholicorum ardor, qui nihil sibi derogari patiebantur; consulendum Cæsari, qui utrisque indi-

gens, neutris tamen satisfaciebat. Commendonus, consilio cum Patribus communicato, persuasit standum esse pactis conventis, ante annos undecim compositis : ita nihil hæreticis concedebatur, nihil detrahebatur catholicis. Vicit ea demum sententia. Omissa est causa religionis, quæ plurimum lucri, ut in tanto periculo, faciebat, si nihil perderet; probatum et receptum a catholicis publica comitiorum auctoritate Concilium Tridentinum : promissa belli subsidia, sedata tempestas. Cæsar de Patribus tamen cum Ledesma graviter expostulavit, ac præsertim de Canisio, quem in severioribus consiliis nimis obfirmatum dicebat esse, nec satis intelligere quid præsentium rerum status ferret. Commendonus contra, Maximiliano affirmare non dubitavit, quidquid a catholicis bene ac feliciter gestum erat, id præcipue tribus istis Societatis hominibus, ac potissimum Canisio deberi, a quibus ea profecta, et verbis scriptisque defensa fuerat sententia, quæ negotium impeditissimum expedire sola potuerat. Quod cum Cæsari certis argumentis confirmasset, illum Patribus omnino conciliavit.

Hoc propugnandæ religionis studium, et libera in propulsandis ejus periculis fiducia, plurimos Antistites Societati devinxit. Guillelmus Prussinowskius, Olumucensis Episcopus duos e nostris postulavit. Ut venere, deducuntur amplam in domum omni apparatu ac suppellectile ad Col-

Olomucense Collegium,

legium necessaria instructam cum peramœnis hortis. Elapso, quod ipsis a Provinciali præstitutum erat, tempore, discessum parantes Præsul exire vetat, negans commodatos sibi, sed ad collegium inchoandum donatos : sibi rem totam permittant. Simul ad Pontificem, Cæsaremque scribit. Quorum jussu Collegium susceptum et magistri litterarum dati. Olomucium, primaria Moraviæ civitas, ad Moravum fluvium jacet. Moravia ipsa, est Bohemiæ velut appendix, cui adnectitur ab occidente.

* *anno* 1579. Accessit tredecim post annis * collegio Olomucensi Seminarium adolescentum, liberalitate Gregorii XIII : consilio et opera P. Antonii Possevini; qui cum probe intelligeret, quanti esset momenti ad religionem catholicam in regnis septentrionalibus retinendam, Seminaria condere, in quibus adolescentes recta Fide imbuti, eam suis deinde popularibus impertirent; auctor fuerat Gregorio XIII, ut duo ejusmodi contubernia collocaret; unum Bransbergæ in Prussia Regali, alterum Olomucii, in Moravia. In Olomucense Seminarium aditus patebat alumnis e Suecia, Gothia, Vandalia, Norvegia, Dania, Prussia, Livonia, Moscovia, et Hungaria, venientibus. Ea modo adjecta conditio fuit, ut si Seminario egressi diversam a catholica religione sectam amplecterentur, impensas restituerent, ipsorum causa factas, pro rata portione temporis, quo in eo consedissent. Æquum enim non videbatur ut beneficio in gratiam Fidei catho-

licæ concesso, fruerentur ii, qui se illius hostes profiterentur. Cetera Seminarii disciplina temperata est ad formam Germanici Romæ Seminarii.

Spirensi collegio dedit initium P. Lambertus Averus, Moguntini rector collegii, qui cum Spiram identidem excurreret, ac singulari facundia de rebus divinis verba faceret, Canonicos collegii cupiditate incendit. Erat ea statio magni momenti propter civitatis nobilitatem, et ingentem numerum procerum, eo sæpe ad Imperialis, ut vocant, Cameræ negotia, concurrentium. Collegii causa in deliberationem, vocata primum fuit hoc anno MDLXVI. Verebantur e Canonicis nonnulli, ne quid ab hæreticis inde turbarum oriretur, ideoque duriores apponebant conditiones, quam ut accipi commode a Societate possent; alii contendebant vocandos Patres, sed quam minimo sub initium fragore, ut civitas paulatim iis videndis et audiendis assuesceret. Vicit ea sententia, et successus consilium approbavit. Perspecta Sociorum comitas, et utilitas scholarum, benevolentiam populi peperit; benevolentia invidiam oppressit. et Spirense.

Eamdem opprimere Socii Parisienses, licet easdem adhiberent artes, nequiverunt. Fuerant in Universitatem, recepti, et omnibus ejus privilegiis ac libertatibus gaudere jussi, a Rectoribus Universitatis Julio Sangermano, anno MDLXIII, et nunc a Jacobo Martino; iis tamen ut fruerentur consequi nulla ratione poterant; cum negaret In Galliis multa bene geruntur.

Academia id fieri posse absque privilegiorum suorum detrimento, idque perrexit objicere instantibus Romanis Pontificibus Pio V, Gregorio XIII, Sixto V, et Præpositis Generalibus Societatis. Hoc tamen obice retardata non fuit sedulitas nostrorum in omni labore litterario; quin potius incitata et aucta, more fluminum, quæ dum oppositis molibus cohibentur, crescunt. Magna erat philosophiæ, magna theologiæ nostræ fama, quam PP. Joannes Maldonatus, Jacobus Tyrius, aliique præstantes Theologi docebant. Nec minor gloria humaniorum litterarum. Petrus Perpinianus perfectam eloquentiæ Tullianæ formam, cum Oratoris Christiani laude conjungebat. Ceteri professores Græcis Latinisque litteris, et omni politiore doctrina exculti, viris doctissimis, quibus abundabat civitas, nihil concedebant. Convictorum, ad nos undique confluentium tanta erat frequentia, ut eos ædes collegii non caperent. Itaque in vicinis contuberniis distinebantur, donec vacuus aliquis pateret in Seminario locus, de quo ipsorum parentes inter se non raro certabant. Jam, e superioribus maxime scholis prodierant adolescentes, et pars in fori subsellia, pars in claustra religiosa, pars in tribunalia magistratuum divisi, haustam a Patrum institutione probitatem ac doctrinam utilitati publicæ impendebant, non sine magistrorum suorum laude, quibus optimos cum bonis artibus mores acceptos referebant.

In aliis Galliæ partibus, præsertim iis quæ Austrum spectant, etsi litterarum studia non negligenter tractarentur, major ratio, et cura religionis habebatur, quæ ibi majoribus erat periculis objecta. Possevinus et Claudius Matthæus Massiliensibus; alii Avenionensibus, alii aliis civitatibus dabant operam. Augerium, tunc Provinciæ moderatorem, Tolosæ in verno jejunio pro concione dicentem, hominum sex millia diebus singulis audiebant. Multi in iis juvenes Academici, nec pauci hæretici, quos veritas in bono lumine collocata e tenebris educebat. Idem Augerius peractis Quadragesimæ concionibus, disputationes de religione instituit, ad mediam usque æstatem, ter in hebdomade, haud minore auditorum conventu. Quæ vero dogmatis catholici capita theologicis ac subtilioribus argumentis explanaverat, eadem binis diebus rudiore stylo in catechesi docebat, et jubebat explicari a pueris interrogantibus invicem ac respondentibus; quæ ratio tunc primum usurpata Tolosæ majorem in modum placuit, et passim in aliis urbibus cœpta est adhiberi. Ejusmodi exercitationibus, tamquam classico, excitati et accensi magistratus, nobilitas, populus universus, ad religiones et civitatis tutelam, ita curam omnem, Augerio duce, intenderunt, ut perduelles, qui Tolosæ, post vicina oppida spoliata, capta, diruta, inhiabant, nullam qua se insinuarent, rimam potuerint invenire.

Pontifex in Scotiam duos Patres mittit.

Quem impietati et crudelitati aditum Tolosates obstruebant, hunc Scotia intercludebat pietati, ac novi Pontificis benevolentiæ. Is Pius V erat, in locum Pii IV subrogatus. Scotiam infelicem miserans, et spem tamen aliquam retinendæ in ea religionis catholicæ fovens, ad Mariam Stuartam, ejus Reginam, duos Societatis homines misit cum Vincentio Laureo, Episcopo Montis Regalis, per speciem gratulandi Reginæ, de filio quem ex Henrico Stuarto susceperat, quique postea Jacobi I nomine tria majoris Britanniæ regna tenuit. Scotiæ proceres, hæresim palam professi, nunquam adduci potuerunt Nuntium ut Apostolicum reciperent. Frustra illi aditum aperire tentavit P. Edmundus Haius, in Scotiam idcirco prægressus. Ipse Henricus Stuartus, impiorum fraude paulo post oppressus, omnem rei bene gerendæ spem ademit. Nec nihil tamen profecit P. Haius. Virum in primis nobilem Ecclesiæ restituit, alios revocavit ad bonam frugem, cum erroris doctoribus depugnavit acriter, catholicorum animos erexit; cumque Londino transiret in reditu, strenuam bene sentientibus operam impendit, ipsumque Londinensem Episcopum, carcere inclusum, ad patientiam excitavit.

Quod in æthere nonnunquam accidere cernimus, ut insoliti turbines ac venti oriantur, qui agris, urbibus, provinciis stragem inferant; id accidit in religione, quæ tam sævis aliquando tem-

pestatibus concutitur, ut nisi divina resisteret manus excindenda penitus videretur. Ejus generis procella sæculo decimo sexto exorta. primum Germaniam, deinde Angliam, Sueciam, Norvegiam, aliasque Septentrionis plagas, tum Galliam ac postremo Belgium gravissimis cladibus afflixit. Margareta Austriaca Philippi III Regis Catholici Soror, Belgium gubernabat. Ab eo Calvinistæ libertatem ut vocant conscientiæ, hoc est amplissimam hæreseos profitendæ facultatem postularunt: Proceres quoque nonnulli privilegia quædam sua violari querebantur. Utrique Cardinalis Granvellani et Hispanorum severitatem molestissime ferebant. Itaque inito fœdere libellum supplicem Margaretæ obtulerunt nonis Aprilibus hujus anni, remedium malis imminentibus enixe flagitantes. Respondit illa rem tanti momenti ad Philippum Regem esse referendam. At conjurati, non expectato Regis responso, undique per urbes et pagos pejora cædibus commisere: impetum in templa et monasteria Antverpiæ potissimum et Tornaci faciunt; statuas et imagines dilacerant, altaria diripiunt, divinam proculcant hostiam, omnia denique impietatis edunt exempla, quibus posteritas ægre fidem est habitura. Sociorum Tornacensium pars, mature in oppida vicina se receperat; eaque obibat, oppidanis animos addendo ad sustinendam fortiter vim gravissimæ tempestatis. Alii qui restiterunt, contumeliis et verberibus mulctati, ac de-

Hæretici tumultus, in Belgio, Antverpiæ et Tornaci.

mum ejecti sunt civitate; collegium vastatum fuit et exhaustum. Eadem vastitas Antverpiensi collegio fuerat illata. Strage autem dispersi Patres, quoquo poterant, præconio divini verbi rem Catholicam præclare tutati sunt.

Audomari Collegium.

Sancti Audomari Fanum, civitas Galliæ, et freto Britannico vicinior, longius aberat a bellico tumultu. Itaque facilius fuit Gerardo Americourtio, primo Audomarensi Episcopo, Societatem in ea collocare. Magistri juventutem rudimentis litterarum imbuere quinto Idus Apriles anni sequentis aggressi sunt. In eadem urbe postmodum fundatum, a Philippi Rege Catholico, fuit Anglorum Seminarium anno MDXCIII.

Papæ Pii in Societatem benevolentia.

Actum erat non de Belgio tantum, sed de Italia tota et magna Europæ parte, si Turcis furorem suum explere tunc licuisset. Læti nostris dissensionibus, quibus augentur et florent, captaverant illud tempus ut rem Christianam penitus delerent. Jam formidabili classe, jam campestribus copiis instructi, tamquam ad certam victoriam ferebantur. Factum bene, quod in felici sæculo contigerat Summus Pontifex Pius V virtute, animo, vigilantia, unus domando furori Turcico par! Simul atque gubernandam Ecclesiam Christi sumpsit, de bello in communem hostem comparando cogitavit, sibique a Præposito Generali Societatis tradi jussit nomina eorum e nostris, qui ad ejusmodi sacram expeditionem idonei viderentur.

Dilata ingentis belli moles usque in annum MDLXX. At Sancti Pontificis dilata in Societatem benevolentia non est, cujus illustria documenta statim dedit. Socios gerendis gravissimis negotiis admovit: alios in Scotiam, alios alio, quo publica vocabat utilitas misit. Quosdam Apostolico Pœnitentiæ foro præfecit, qui tamen in communi viverent, et Societatis disciplinam servarent. Nonnullos præposuit administrandæ Catechumenorum domui, jam pridem a B. Ignatio conditæ; cujus amplificandæ occasio hæc fuit: Elias quidam Carcossius, Hebræus, inter suos clarissimus, Pontificis hortatu et opera Christianam amplexus Fidem plurimos e suis popularibus ad eamdem perduxerat, adjuvante potissimum P. Joan. B. Eliano. Iis instituendis Pontifex ædes ampliores coëmit, ac totam earum administrationem detulit ad Societatem: nummariæ tamen rei onus et invidiam deprecante Præposito Generali, annuit ut ea pars curæ mandaretur extraneis.

Urbi lue laboranti succurritur,

At laborem longe graviorem, sed cum Instituti nostri rationibus conjunctiorem, deprecatus idem Borgia non est, cum sub extremam æstatem, popularis lues Romam invasisset, in ea præsertim Urbis regione, quæ viam Flaminiam attingit. Pius V pro sua charitate ac providentia medicos, pharmaca, cibos comparavit, ac totius negotii procurationem Societati commisit. Singulis vicis Socii duo erant præpositi: quibus additi adjutores e

populo. Bis quotidie singulas obibant domos, et quod cuique necessarium erat deferebant.

Eodem Borgia auctore, qui cum Sanctissimo Pontifici omnia sua communicabat consilia, instante vero P. Canisio, et aliis quibusdam e Societate, in Germania diu versatis, vigilantissimus Christi ovilis Pastor geminam Cardinalium Congregationem instituit; alteram cui Propagandæ inter ethnicos et infideles Fidei, alteram cui revocandorum ad eamdem hæreticorum cura incumberet. Rursus, cum ex eodem Præposito Generali cognovisset inductum utiliter in aliquot Germaniæ Academias morem profitendæ palam a Doctoribus, e formula Pii IV Catholicæ Fidei, præcepit ut hoc idem usurparetur deinceps in omnibus Italiæ academiis, eamque subscriberent formulam, quicumque ad litterarios gradus proveherentur : id quod ad retinendam in Italia incorruptam doctrinæ integritatem plurimum valuisse constat. Eam inquinare in regno potissimum Neapolitano nitebantur infelices quædam priscorum Valdensium reliquiæ : jamque id erant arte multa consecutæ, quod vix in tanto Pastorum numero, et pene in ipsis Romæ oculis credibile sit, ut laterent. Indiciis ad Borgiam perlatis, continuo destinati ad exstirpandum lolium Evangelici messores, Dominicam segetem labore fausto repurgarunt.

propagandæ Fidei, et

conservandæ.

Dum publicis commodis Societas consulit, ejus domesticam rem Divina bonitas novo tironum

domicilio amplificavit. Oblatum fuerat domui Professorum, ab Episcopo Tiburtino Joanne Andrea Crucio, sacellum Sancti Andreæ, in monte Quirinali cum domuncula, et hortis. Sacello junctas habebat ædes Joanna Aragonia, Ascanii Columnæ olim uxor. Hæc, ubi cognovit Borgiæ in animo esse novitios, qui hactenus apud Professos in ædium separata parte constiterant, in montem Quirinalem transferre; domum suam, et aliquid pecuniæ, ultro donavit, seque dotem reliquam, necessariam fundando tironum domicilio adjecturam spopondit. Tenuitas domicilii non nisi paucos tirones, reliquis apud Professos remanentibus, capere tunc potuit. Laxatæ postmodum angustiæ, et amplior altera domus huic primæ adjuncta fuit anno MDXCVII, cujus fundatrix, cum filio Joanne Theodoro Sanseverino, Isabella Feltria Roborea, Urbini Ducis filia, et Principis Bisiniani vidua. Erat vicina domui Probationis in eodem Quirinali clivo, ædes S. Vitalis, Canonicorum Collegio; ac titulo Cardinalis quondam nobilitata, tunc semiruta. Eam Clemens VIII Societati, cum vicinis hortis, dedit anno MDXCVI hac lege ut Societas labantem sarciret, ac sartam tectam conservaret. Hanc Probationis domum, ut ejus augendæ, ornandæque studium, quod S. Francisco Borgiæ semper fuit antiquissimum, Deo cordi fuisse declaravit lectissimus plurimorum summæ expectationis tironum numerus qui, primum ibi vitæ

Romana Domus Probationis in Quirinali.

perfectioris curriculum ingressi, ad ejus metam præcipua cum laude pervenerunt. In iis fuere Claudius Aquaviva Societatis postea Præpositus Generalis Quintus; Rodulphus Aquaviva, Ducis Hadriæ filius, et ejusdem Claudii Aquavivæ ex fratre nepos; Franciscus Turrianus editis voluminibus, et eo quem inter Pontificios Concilii Tridentini Theologos obtinuerat loco, inclytus: Stanislaus Warsevicius Regi Poloniæ antea ab epistolis et secretis : demum B. Stanislaus Kostka, nostrorum tironum decus et exemplum.

Augeri domos Probationis, et præstantes in iis viros ad Apostolica formari munia, hoc anno maxime decebat, quo novus illis, et latissime patens campus in Peruvia, in Florida, in insulis Oceani Atlantici, parabatur. Hispaniæ et ultimæ Africæ littora ad occidentem alluit Atlanticum Mare. In eo triplicis generis insulæ sunt, Azores, Canariæ, et Hesperides. Azores, quæ dicuntur etiam Flandricæ, quia primum fuerunt a Flandris detectæ, Lusitaniam respiciunt, eique objacent; Canariæ, sive Fortunatæ, paulo ultra Gaditanum sinum occurrunt; Hesperides e regione Viridis Promontorii sedent, a quo etiam nomen sumunt, et Promontorii Viridis insulæ nuncupantur. Henricus Cardinalis putavit insulas Azores, quæ propius aberant a Lusitania, facilius et æquius excolendas. Profecti ad eas Socii hoc anno semel iterumque, ventis adversis repulsi, demum in

Atlantici Maris insulæ,

Maderam insulam, Fortunatis vicinam, delati sunt. Hanc invaserant piratæ Calviniani; præter alia crudeliter gesta, stragem sacrorum late fecerant. Itaque felix, et optatissimus incolis adventus Patrum, post calamitatem tantam fuit. In Canarias insulas colonia nostrorum deducta est anno sequenti a Bartholomæo Turriano, creato illarum Episcopo. Excepit populus summa gratulatione pastorem fama jam notum. Famam vicit præsentia. Dum Socii præclarum Antistitem imitari contendunt, dici vix potest quantum laboris, quanto fructu, exhauserint. Eorum tamen unus morbo victus succubuit. Nec diu superstes fuit ingentis animæ prodigus Præsul; Socii triennium septem illis insulis peragrandis instituendisque collocarunt, in easque identidem sunt reversi * ad confirmanda, *et multiplicanda justitiæ semina* quæ feliciter in iis jecerant.

* *annis* 1613 *et* 1614.

Prima quoque religionis semina sparsa in insulas quasdam Japoniæ fuerunt, quas Gotias sive de Goto, appellant. Quinque numerantur, et nomen habent ab ipso numero : nam hujus vocis *Goto* prior syllaba, quinque; posterior insulam, Japonice sonat. Regionis caput Oquicoa. Gens auguriis et divinationi maxime dedita : quare abundat hariolis, et præstigiatoribus. Summam in istis insulis potestatem Gotondonus obtinebat, Princeps omnibus regiis dotibus ornatissimus, amor suorum ac deliciæ. Cognitam fama sanctitatem

et Japonicæ quædam feliciter excultæ.

religionis Christianæ adamavit, et doctores a P. Cosmo Turriano quæsivit. Venere ad eum Almeida et Laurentius. Hic, utpote Japon, et sermonis vernaculi scientissimus, quem nativâ facundia et doctrinæ Christianæ explicandæ usu diuturno limaverat, verba fecit, audiente Rege, ac præcipua totius regni nobilitate, quæ per eos dies ad Principem ineunte anno consalutandum venerat. Adesse Regina voluit, cum nobilium matronarum comitatu. Sedebant in interiori aulæ ingentis parte, a reliquo consessu disclusæ tenuissimo peripetasmate serico, quod ita ipsas occultabat, ut facultatem auscultandi non eriperet.

Postquam summo nobilis coronæ silentio disseruit Laurentius, per tres horas, de uno vero summoque rerum omnium principio ac Numine, Deorumque plurium vanitatem ostendit; assurgens Almeida, vocemque intendens : si cui vestrum inquit, occurrit in iis quæ modo sunt explicata, dubitationis aliquid, vel difficultatis, proponat, præsto sum ut nodum quemlibet expediam. Attonitis dicti fiducia ceteris ac silentibus, de solio surrexit Rex, et omnium nomine respondit : sibi omnino esse persuasum unum esse auctorem ac dominum universi, Deum. Accessit ad hanc Regis denunciationem populi assensus, nihilque propius faciendum videbatur, quam ut civitas ad baptismum universa concurreret, cum subito inopina cœptis felicibus mora intercessit. Rex, hactenus

Baptismum petit populus

optima usus valetudine, in gravem incidit morbum illo ipso die : ardebat febri, pectore oppresso spiritum ægre ducebat. Bonzii conclamant iratos Deos; neque, ut Europæi doctores asserebant, surdos aut cœcos esse : videre illos ac sentire contemptas religiones, ac manifestis signis ulcisci. Pejus in dies interim fiebat Regi, jamque depositus a medicis habebatur. Indicitur civitati jejunium a Bonziis; libri, e quibus recitare preces in ægrotantium conspectu solent, deferuntur ad conclave Regis: diris precationibus ac maledictis deliguntur Christianæ legis præcones, ut certissimi publicæ calamitatis auctores.

Latebat abditus cum Socio Almeida, duplici constrictus metu : si enim Rex convalesceret, post adhibita superstitiosa remedia, verebatur ne illius salus falsis numinibus ac Bonziis tribueretur : si quid illi humanitus accideret, non dubitabat quin populus Socium, seque odio publico immolaret. Hæc secum anxie reputans, ac Deum supplici appellans prece, audire vocem visus est intus monentem, ut iret ac sanaret Regem. Surgit, et quoniam irritæ Bonziorum artes erant, profitetur se remedium laboranti Principi allaturum. Admittitur, ac primo quidem animum ægroti ad spem divinæ opis erigit: deinde catapotio tempestive dato, abire febris visa : mox reducto somno, capiti melius ac pectori fuit : demum valetudo in integrum est restituta. Lætitia incredibilis urbem gravi

luctu ac timore solvit. Regina cum filiis adolescentibus ingentes agere gratias Almeidæ. Quibus ille affirmans nequaquam arti humanæ; sed vero, quem colebat Deo, mortis ac morborum arbitro, assignandum tam insigne beneficium, facultatem a Rege petiit Divinæ legis promulgandæ. Facta est amplissima. Populus cum nobilitate ad audiendum confluxit, maxime vero filius Regis natu major, annorum viginti. Præcipuus quoque regni Administer, cum aliquot proceribus, Christi Fidem suscepit. Eamdem amplexati sunt Ocurani (erat oppidum Oquicoæ vicinum). Tota regio ad aspiciendam veritatem oculos, e diuturna caligine, velut aperiebat, cum lucem hanc fœda belli tempestas obscuravit. Sed inde quoque religionis enituit splendor, Deo aspirante. Tetrarcha, Gotiani Regis beneficiarius cliens, a Firandi Rege, cujus sororem habebat in matrimonio, incitatus bellum movet. Conscribuntur adversus rebellem milites, in iisque plurimi Christiani, quos sacra Jesu, et Mariæ nomina invocare doctos Almeida in aciem promovit. Stabant illi ante prima signa, et leonum instar, in adversa ruebant tela, nemo tamen ex iis unus aut cæsus, aut vulneratus est.

Rei novitas, portenti simillima, venerationem erga Sanctissimum Christi nomen vehementer auxit. Eam vero cumulavit nobilis adolescentis Christiani eximia fortitudo. Xistus illi nomen. Hostium ducem conspicatus, corporis proceritate,

armorum nitore, majestate vultus insignem, in hunc subditis equo calcaribus, invehitur. Procurrit vicissim in obvium hostis. Acies gemina consistit, certaminis eventu suspensa. Non fuit diuturnum. Adolescens ubi parumper obequitavit, sortitus vulneri locum, qua loricæ pars utraque committitur, et interlucet, latus inimicum lancea transfixit; simulque desiliens equo, armis jacentem spoliavit. Amisso duce, rebelles effuso cursu recipiunt se in castra, quibus exuti, prædam ingentem, et gloriam Gotianis reliquere. Decus tamen victoriæ penes Christianos, ethnicis ore uno fatentibus, mansit.

et Principes insulæ Goto.

Tam singulari numinis favore permotus Regis filius natu major, cum sexcentis aliis, sacro fonte lustratus est, ac Ludovici donatus nomine; Mariæ nomen uxori ejus impositum. Magna fuit adolescenti Principi cum profanis idolorum Sacerdotibus altercatio; maxima cum patre, qui filium initio non moleste tulerat accessisse ad Christianos, quorum legem probabat ut veram, et ut sanctam amabat : verum seditionem, facibus Bonziorum accensam, et in suam ac regni perniciem brevi erupturam, timens; serio in eam incubuit curam, ut filium ad pristina revocaret sacra, vel saltem ad dissimulanda Christiana flecteret. Neutrum impetravit. Ergo ad severiora delapsus consilia, edicit ne quis Christi Fidem suscipiat, ut omnes susceptam deponant; capitalem, si quis secus faxit,

pœnam sancit. Edicto promulgato, ingens undique factus est Christianorum in ædem sacram concursus, mortem flagitantium. Regis filius in limine ipso constitit, verbis exemploque omnes accendens. Almeida laudavit fidelis populi pietatem, metuens nihilominus quorsum hæc evaderent, ipse Regem adiit, seque pro ejus filio, et populo, voluntariam Bonziorum odio, quamlibet injusto, victimam obtulit. Rex animum viri, et charitatem admirans, Bonzios placavit, et filio Christianisque libertatem pristinam redonavit.

Pari studio ac felicitate Almeida Christum intulit minoribus quibusdam insulis quæ Arimanum inter et Figense regnum jacent : præcipuæ sunt Amacusa et Xequia. Urbis Amacusanæ præfectus cum domesticis quinquaginta, Fidei Sacramento mundatus, Socerum suum ac primores oppidi, exemplo traxit. Disrumpebantur idolorum sacrificuli, dæmonum satellites. Colligunt agmen sicariorum, et præfectum urbis obsident domi suæ. Cogitur Almeida fugam capessere. Sed Bungi Rex tempore adfuit, comprehensosque nebulones supplicio affecit. Revocatus Almeida magnam insulæ partem paulatim Christo adscripsit.

Pacatiora erant Omuræ omnia, neque ullus abibat dies, quin pius grex ovibus plurimis augeretur. Uxorem Regis, filios, ac regiam omnem familiam, cum flore nobilitatis P. Capralis baptismate solemni lustravit.

Non eadem pax, nec successus idem nostros excepit in Florida, quam hoc anno Societas parum felicibus auspiciis ingressa, sudoribus rigavit suis, perfudit sanguine, ad extremum destituit. Florida vocatur pars Americæ septentrionalis, infra Canadam, et intra trigesimum et quadragesimum ab Æquatore Boream versus gradum. Clauditur ab ortu, Oceano, et fretum Gaditanum longe prospicit; ab occasu Mexicum habet; a Meridie ingentem sinum, quem Hispaniæ novæ Sinum, seu Mexicanum Geographi appellant; a septentrione, Mexici, et novæ Franciæ partem videt. Inventa est anno MDXII ea die quam Pascha floridum Hispani vocant. Inde factum regioni nomen. Solum sterile, ac minime floridum : gens atrox, robusta, currendi, jaculandique peritissima. Solem et lunam pro Numinibus colit; frumento indico, herbis, venatu, piscatuque alitur. Hispani pauca, secundum littus, habebant castella, et acerrimum a fame indigenisque bellum ægre sustinebant, cum Petrus Menendes, a rege Catholico, Floridæ præfecturam adeptus, auxilium laborantibus attulit. Socii tres, ut enixe petierat, cum eo profecti jam erant in conspectu Floridæ, cum placuit unam e tota classe navim, præmittere quæ littora exploraret, si qua forte statio Hispanorum deprehenderetur, in quam Patres tuto possent exponi. P. Petrus Martinius in scapham, cum novem Belgis et perpaucis Hispanis rectoribus

In Floridam appellens,

P. Martinius mactatur.

descendit. Sed orta subito tempestas, navim unde in scapham desilierant, procul ad insulam Cubam deportavit. Ipsi dies multos per asperam et incultum vagati littus, fame prope jam enecti, ad insulam exiguam provehuntur. Ibi adolescentes pisciculos retibus excipiebant. Unus celeri cursu proripuit sese, suspicionemque insidiarum fecit. Nec temere : Barbari confluunt, et ad scapham natando leniter, ut erat littori vicina, progressi, P. Martinium, duosque vectores Belgas furtim a tergo complectuntur, et asportant in littus. Martinium, in terram abjectum, cum insistens genibus extulisset ad cœlum manus, clava capite impacta, mactant; duos pariter ejus comites interficiunt, ac spoliant. Reliqui e scapha tristem carnificinam clamoribus et ejulatu multo spectantes, vix barbarorum sagittas protracto celeriter in altum navigio effugerunt, alteroque post die devenerunt in stationem Hispanorum. Erat Martinius virtute, doctrina, prudentia insigni præditus. Nihil modestius illo, nihil obedientius; nihil laboris et animarum salutis, amantius. Natus Celdis, diœceseos Cæsaraugustanæ oppido, MDXXXIII; Societatem inierat, MDLII, ac Valentiæ, Vallisoleti, Orani, omnes religiosi operarii numeros impleverat. In hac vero postrema expeditione labores maximos et pericula incredibili charitate toleravit. Alii e Sociis P. Joannes Rogerius, et Franciscus Villaregius rei domesticæ adjutor, qui cum P. Martinio ex His-

Hist. Soc. p. 3. lib. 2. n.° 141 et seq.

pania solverant, et quos ab eo disjunctos tempestas ut diximus abripuerat in Cubam insulam, inde Floridam anno sequenti petierunt.

Annus Christi 1567 : Societatis 28.

Cum Societatem nostram graves ut plurimum exercuerint molestiæ, ac pericula; tum vero illa merito censentur longe gravissima, quæ nobis creata sunt ab iis quos demereri potissimum studebamus, et quorum benevolentia res nostras niti oportebat. Sanctissimum Pontificem Pium V experti hactenus fueramus Ordini nostro atque Instituto valde propitium et favorabilem, cum illi visa sunt vota, quæ peracto tirocinio novitii nostri edunt, subiniqua; siquidem deserere Societatem nequirent ejus alumni, post hæc vota edita, quos ipsa tamen posset dimittere. Inde aliud quoque incommodum oriri contendebat, nempe ut Sacerdotes a nobis dimissi, aut mendicare cogerentur, aut sordidas exercere artes, non sine dedecore sacerdotalis Ordinis, quod omnino cavendum Synodus Tridentina censuerat. Itaque, cum circa natalitias Christi ferias, aliqui e nostris essent Sacerdotio initiandi, suo in Urbe Vicario imperavit, ne cui religioso viro, nisi solemnia professo vota sacros ordines impertiret. Detulit Borgia privilegia Societatis ad Cardinales rebus Concilii cognoscendis explicandisque præpositos; ac docuit vota simplicia Societatis iniqua videri non posse, quæ ab

Quæstio de votis simplicibus.

æquissimis Pontificibus et sapientissimis, a Concilio Tridentino, fuissent æqua et sancta judicata. Tum eduntur ea vota ultro, post cognitam eorum conditionem et naturam; prudentibus autem et volentibus non fit injuria. Quid quod in religiosis Ordinibus nonnullis, ac sodalitatibus, suscipiuntur ejusdem generis vota, et justissima censentur. Præterea durior illa quæ videtur conditio, ut dimitti, et votis solvi possint voventes, si necesse fuerit; ipsis quoque voventibus utilis est: tum quia dimissionis metus firmat ipsorum in religiosa vita constantiam; tum quia, si quo casu accidat ut dimittendi sint, interest illorum, ut soluti votis potius, quam constricti dimittantur. Postremo eadem illa conditio ab eorum est voluntate suspensa, quippe qui non dimittuntur, nisi se male gerant *.

* *Exam. c.* 6. §. 8. *et c.* 7. §. 1.

Quod spectat alterum caput, nempe periculum esse ne Sacerdotes a Societate dimissi, et simplicibus soluti votis, mendicare cogerentur, responsum fuit: Sacerdotes ab Antistibus interdum ob delicta gravia spoliari beneficiis Ecclesiasticis, etsi redigendos ad inopiam videant; cum tamen illos jure hac pœna mulctari nemo non judicet. Porro dimissos a Societate sic a paternis bonis, certe a litteris et ingenio plerumque instructos esse, ut iis honesta ducendæ vitæ ratio deesse vix possit. Quod si per intemperantiam, et malas artes, in egestatem incidant; id vero neque

præstandum esse Societati, neque ullo remedio prohiberi posse. Denique Decretum Concilii Tridentini, quo Sacerdotes jubentur certo aliquo patrimonio, et annuo censu, dotati esse, ostendebatur nihil pertinere ad Societatem, cui legis istius immunitas ab ipso Concilio data esset. Hæc ita probata sunt Cardinalibus, ut nonnulli tamen censerent dimissis sacerdotibus, præstanda, si egerent, a Societate alimenta. Id vero cum erat Societati grave: tum etiam æquum non videbatur, ut quis e noxa pœnaque lucrum ferret; hoc idem erat periculosum, et opportunum sollicitandis ad defectionem animis nonnullorum religiosæ vitæ jugum moleste ferentium, quippe qui illo excusso paratam sibi viderent ætatis in otio transigendæ facultatem. Iis auditis Pontifex nihilominus consultius existimavit fore, ut homines Societatis professionem antea solemnem ederent, quam sacris Ordinibus initiarentur; idque VII Cal. Junias renunciandum Præpotito Generali per Cardinalem Aleiatum curavit. Mox decretum Tridentini Concilii, ne Sacerdotes sæculares, sine certis ad alimenta subsidiis crearentur, ad religiosos quoque non professos, edito diplomate, voluit pertinere. Sane vix quidquam durius accidere Societati poterat. Duorum enim alterum necessario erat consequens, ut vel paucissimos haberet Sacerdotes; vel plurimos Professos, non satis exploratæ ac perspectæ virtutis. Denique gradus Coadjutorum

Formatorum omnino tollebatur : quippe qui votis tantum simplicibus alligantur. Quæ incommoda licet Præpositus Generalis probe intelligeret, obediendi tamen gloriam commodis omnibus anteponens, continuo ad parendum se accinxit, edixitque ut paulo accuratiore delectu fierent Sacerdotes, ac trium saltem votorum Solemnem professionem ederent, ex iisque postea legerentur idonei, vota quatuor e Societatis legibus edituri.

Post obitum Pii V, responderunt prudentes jurisconsulti ejus diplomate Societatem non teneri. Consultus super ea re Gregorius XIII, Pii V successor, causæ cognitionem S. Cardinali Borromæo demandavit. P. Hieronymus Natalis, creatus, post mortem S. Franc. Borgiæ Vicarius Generalis Societatis, Cardinalem diligenter edocuit, eique totam Ordinis nostri rationem, et quasi structuram exposuit. Borromæus tres Cardinales peritissimos adhibuit in consilium, deque illorum sententia Pontifex pristinum jus Societatis approbavit. Ab eodem Gregorio XIII Societatis institutum, atque illud præcipue de simplicibus votis caput, confirmatum est Bulla : *Quanto fructuosius* anni MDLXXXII, et Bulla : *Ascendente Dno,* anni MDLXXXIV, quibus Constitutionibus causam nonnulli theologi dederant, cum vota simplicia Societatis insectantes docerent, neminem ejusmodi votis religiosum effici, atque adeo posse quoslibet, post hæc vota edita, recedere a Societate, absque

ejus consensu et injuria. Utramque Constitutionem alii labefactare conati sunt, Sixto V Pontifice, qui non nimis Societati deditus ferebatur. Ad hunc fuit delata rursum causa; verum Societati rursus adjudicata est.

Romana domicilia per sese Præpositus Generalis adhuc administraverat; ut hoc onere levaretur, placuit curam hanc alteri delegare qui Societatis Romanas domos, ac vicinas; itemque collegia quæ Etruscam conflabant Provinciam gubernaret. Inde nata est Romana Provincia, Tusca vero abolita. Amerinis, in Umbria datum fuerat Collegium anno MDLVI. Non fuit civium in eo retinendo tanta constantia, quantus ardor in expetendo. Tres in partes distributa erat Amerina civitas, quarum unaquæque in orbem magistratum gerebat. Hinc factiones scilicet, hinc dissidia, quæ cum in gravia Collegii incommoda erumperent, nec opem ferre Antistes valde laboraret, sublatum penitus est. Natum vero Brixiæ collegium, statim suis numeris absolutum stetit. Angelus ibi Paradisius degebat, Sacerdos pius, ac boni publici studiosus. Ille, cum jam pridem Societatem adamasset, nec eam ingredi per valetudinem posset, triginta partim Sacerdotes, partim nondum hunc honoris sacri gradum adeptos, in unam aggregaverat familiam, cumque illis utilem civitati operam navabat. His injecta mens est, e Divina gloria fore, si omnes Societatem ingrederentur.

Provincia Romana constituitur

Amerinum cessat Collegium;

enascuntur Brixianum,

Mittitur ad Præpositum Societatis epistola manu singulorum subscripta. Rescribit ille ac pietatem Sacerdotum optimorum, et studium laudat erga Societatem; simul spem facit obtinendi aliquando quod tanto consensu postularent. Has litteras ubi recitavit in eorum cœtu Paulus Candius, Patavini Collegii tunc Rector, omnes in genua provoluti totos ei se, ac Præposito Generali, permiserunt: nec ante impetratum ab iis fuit, ut surgerent, quam omnes, in Societatem ab eodem Candio, cui potestatem hanc Borgia fecerat, reciperentur. Divi Antonii templo plurimum utebantur. Veriti quidam cives ne illud nobis in perpetuum attribueretur, Societatem ejicere Brixia conati sunt, anno MDLXIX, fabricatâ insigni calumniâ. Sed eam confutavit Dominicus Bollanus, Brixianus Antistes, atque ita Patrum laboribus frui civi-

Taurinense, tas clarissima perrexit. Idem collegio Taurinensi natalis annus fuit. Parentem habuit Aleramum Becutum : is ex lectione Indicarum litterarum cogitationem suscepit arcessendæ Augustam Taurinorum Societatis. Vectigalium magnam partem ipse suppeditavit; domum dedit Antonius Alboscus; templum Vincentius Parpalia, Sabaudiæ Dux; ac reliqua civitas, ornamenta collegii cetera, et incrementa prolixe adjecerunt.

Herbipolense. Par in fundando collegio Herbipolitano jure laudatur liberalitas Friderici Wiespergii, Episcopi Herbipolitani. Inducti sunt in urbem Socii anno

exeunte. tantusque subito privatis publicisque sermonibus fructus exstitit, ut affirmare plerique non dubitarent, si talibus munita præsidiis Franconia fuisset, nunquam tot clades ab hostibus religionis fuisse accepturam. Hoc ipsum prædicabant pleræque civitates per idem tempus, aut hæresi ereptæ Sociorum operâ, aut contra illius vim insidiasque munitæ. Elwanga Sveviæ oppidum haud ignobile, ab annis viginti novitatis pestem fovebat sinu : effectum est ut cives uno consensu decernerent : nemini post hac domicilium in urbe sua concedendum, quin antea Fidei catholicæ professionem edidisset. At contra Elbingani (est Elbinga urbs munita Prussiæ Regalis, emporium celebre, non procul a mari Baltico) cives suos ejicere cœperant, quicumque Lutheranum dogma non profiterentur, e formula Confessionis Augustanæ. Pronus est e lubrico in præceps lapsus. Jam nullam prope catholici cultus exstabat vestigium, et labes ad vicina paulatim oppida gliscebat. Id Cardinalis Hosius, Varmiensis Episcopus, dolens, cujus in diœcesi Elbinga, Socios aliquot illuc misit. Illi calumniis primum appetiti, mox etiam lapidibus: constantia nihilominus, cui nihil invictum, atque adeo vigilantissimi Præsulis auctoritate, rem catholicam pristinum in statum restituerunt.

Quid actum Elwangæ, et Elbingæ.

Theologiam tunc in Germania docebat Pater Hieronymus Turrianus, cumque cerneret ex *Augustana Confessione*, tamquam e pestilenti fonte,

Confessio Augustiniana

spargi errorem late per Germaniam; opposuit illi *Confessionem Augustinianam*. Hoc in libro locos theologicos, et capita præcipua doctrinæ catholicæ confirmat, deductis ex ipso Augustino sententiis: eas verò, sicubi sunt obscuriores, illustrat, exigitque ad amussim theologicam : quæ sunt ab hæreticis detortæ in alienum sensum, explicat; quæ sunt accisæ et mutilatæ, integras repræsentat; quæ depravatæ, emendat; quæ malignis adnotationibus adulteratæ, perpurgat. Exemplum istud secuti doctores catholici, Confessiones alias ediderunt, Ambrosianam, Hieronymianam, Cyprianam, etc. His voluminibus erepta sunt errorum architectis arma, quibus veritatis arcem oppugnabant. Iis enim si Patres, et Ecclesiæ Catholicæ doctores, quibus perperam gloriantur, adimas, quid restat nisi pertinacia?

Villaregii Domus Prob.

Villaregii, in Hispania, domicilium dedit Joannes Paciecus tironibus; qui dum comparandæ perfectioni religiosæ dabant operam, subinde prodibant in publicum, et in circumjectos pagos excurrebant : unde in ipsa urbe vicinisque locis, ingens morum conversio est consecuta. Designatum Caravacæ Collegium, aliquanto post constitutum et confirmatum fuit.

In Indiis res prosperæ.

In insula Ciorano, non procul Goæ institutum fuerat Seminarium Sociorum duodecim, qui præcipuam in perdiscendis Indorum linguis curam impenderent. Erat in eo tractu senex, e

Brachmanum stirpe nobili, tantam probitatis opinionem consecutus, ut eum colerent omnes oraculi ritu, seque perbeatos putarent quibus licuisset lavare illi pedes, et aquam hanc haurire. Sæpe tentatus a Patribus, ac demum labefactatus significavit se obsecuturum, si amica vis adhiberetur. Ergo in custodiam datur, quod contra jussa regia palam ritus vetitos doceret. Tunc se Christianum professus, doctor et præco divinæ legis, eam multis persuasit. Posita statio nova Societatis fuit ad Marganum pagum in Salsettide per eam occasionem. Venerat P. Petrus Alcaceva in oppidulum ethnicis refertum; qui subito in eum coorti attulissent illi manus, nisi fuga elapsus, in Christiani tecto delituisset. At ejus comes impiorum ferro periit. Prorex sicariorum delubra omnia exscindi jussit. Inde terror finitimis injectus, quorum duo fere millia salutis sacramento regenerata Societatis domicilium ultro acceperunt. Cocini ab ethnico rege impetratum diploma, quo potestatem faciebat populo Christum impune profitendi. Sed in vicino mari periere Patres Ferdinandus Alcarazius, et Petrus Ramirius, quos vel repentina tempestas obruit, vel ut alii narrant, in piratarum myoparonem detulit, a quibus dire necati sunt. Cum in Salsettis succisa toties superstitio repullularet, egit cum Indiæ Prorege Franc. Rodericius, ut ne liceret in posterum fana diis inanibus exstruere. Hinc ethnicorum mœror et consternatio,

maxime Brachmanum. Sed illos longe gravius perculit Decretum Goani Concilii Provincialis, quod hoc anno primum celebratum fuit, et cui Socios interesse Archiepiscopus voluit. Illis maxime auctoribus constitutum est, ut idola prorsus omnia, et eorum delubra, in omni, quæ Lusitanis parebat regione, tollerentur. Præter ædiculas innumeras, templa justæ magnitudinis ducenta octoginta eversa perhibentur, et in iis quædam sane magnifica et opulenta. In primis vero delubrum Veneris Indicæ, Mardor nuncupatum, ubi feminarum grex publicæ libidini prostitutus, publicis sumptibus alebatur. In vacua ejus area Crux erecta prægrandis, tanquam victæ impietatis et impudicitiæ trophæum. Salsettarum incolas aliquot nondum Christo subactos, ea clades efferavit. Ruunt in Christianos, et eorum Pastorem P. Petrum Mascareniam verberibus contusum, et semianimem sternunt. Goam deportatus curatusque, ut primum per valetudinem licuit, ad pristinos labores et pretiosa pericula revolavit.

Idolorum fana diruta.

Simili constantia et fortitudine restitit inter Abyssinos P. Andreas Oviedus, qui anno MDLXII in locum et munus P. Joannis Nunnii Barretti Patriarchæ Æthiopiæ successerat. In Æthiopia rerum potiebatur Sarsa Denguil, alio nomine Malac Segnedus, in solium parentis Adami Segnedi evectus anno MDLXI. Ejus crudelitatem et indigenarum perfidiam diu perpessus Oviedus,

P. Andreas Oviedus Patriarcha apud Æthiopes.

accipit a Pio V litteras quibus jubebatur, cum primum adesset opportunitas navigandi, transferre se ad Sinas vel Japones, et sterilem Æthiopiam omittere: Pontifici respondit Patriarcha potestatem impune navigandi nullam esse ob Turcarum incursiones, et civilia quæ permiscebant Æthiopiam bella : interesse plurimum religionis, ut catholicorum reliquias inter Abyssinos aliquis sustentaret; sibi nihil accidere optatius posse, quam pati pro Christo, et, si res ferret, mori. Hoc animo Præsul invictus mansit, annuente Pontifice, inter assiduos mortis expetitæ metus, feliciora speratæ messis tempora expectans.

Primordia provinciæ in Peruvia.

Est hoc in Prædestinationis hominum, aut reprobationis mysterio usitatum juxta et formidabile, ut cœlestia beneficia quæ alii respuunt, in alios transferantur. Quo pertinet ea Christi Domini vox et comminatio; *Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructum ejus.* * * *Math.* 21. Dum Æthiopia ministros Evangelii vexat amittitque, illos admittit recipitque Perua, Australis Americæ pars; quam ab ortu claudit Brasilia; Oceanus ab occasu; a meridie, Chilense regnum; a Septentrione Isthmus Panamensis. Postulanti Philippo II Rege Catholico, binos e singulis Hispaniæ provinciis Socios Borgia dedit; præside ac rectore P. Hieronymo Ruizio Portillo. Profecti quarto Calendas Novembres Carthaginem novam, pridie Natalis Domini pervenerunt, unde Limam,

Peruæ caput, anno sequente ingressi sunt; quinque ac triginta post annis, quam ea civitas in ditionem Hispanorum venerat. Templum continuo et collegium fabricata sunt; data indigenarum saluti opera, nec non moribus Europæorum, quorum pietati magnam attulerant labem avaritia et licentia. Nec omissa mancipiorum Æthiopum cura, quorum ingens numerus quotannis ex Africa in Peruviam deportatur. Ut vero indigenæ facilius excolerentur, collecti sunt e variis oppidulis et pagis in unum prope Limam locum, qui Suburbium S. Jacobi appellatus fuit.

Post hæc in Peruam interiorem Evangelii jubar delatum. Primam fidei lucem suscepit Provincia Oarociris, quæ ut maxime inculta, ita gravissimis vitiis abundabat. Nam propter asperitatem regionis et itinera difficillima, Sacerdotes qui animos curarent, non inveniebantur. Sparsi per septem ac sexaginta pagos degebant incolæ, ad viginti millia. Tota illa multitudo in octo grandiores collecta pagos fuit, quo facilius et citius ad omnes doctrina Evangelica permanaret.

In Regno Bugensi floret religio;

Sic in *terra deserta* prius et *inaquosa* nunc rore cœlesti perfusa, radices agere cœpit divini verbi semen; quod fructus jamjam maturos efferebat in Japonia, præsertim in regno Bungensi, ubi confirmata fides fuit ac propagata, insigni sanatione per baptismum effecta. Filiam dynastæ præpotentis in oppido Facata, morbi vix atrox et

ignota medentibus cruciabat. Toto tremens et concussa corpore ita jactabatur ut moritura singulis pene momentis crederetur. Baptizata morbum prorsus depulit. Dynastes, cum uxore, genero, totaque familia sanitatem animi, Christiana religione suscepta, consecutus est. Altera ædes sacra Funaii ædificata fuit; ac Tertia Vosuchi, eodem in regno. Non eadem religionis tranquillitas in regno Firandensi. Pietatem ibi potissimum colebat Antonius, regii exercitus ductor primarius. Ad eum Rex Omuræ, cum litteras misisset certis de rebus ad Divinæ legis studium spectantibus, eas Firandi Rex interceptas, ut erat male suspiciosus, in eam partem explicuit quam timebat, et scriptas de conjuratione ab Omurano Rege in suum caput cum Antonio conflata, credidit. Christianos quatuor Firandenses, qui tabellarium comitati erant, in frusta concidi jussit; ab ipso tabellario, qui Lusitanus erat, ægre temperavit. Sed cum per eos dies classis Lusitana, Sinicis onusta mercibus, ad Omuranum portum, Firandensi præterito, cursum direxisset, incensus ira, quinquaginta naves expedit, in Lusitanos pugnamque conserit. Male acceptus, confractis armamentis, nautis magnam partem et militibus vulneratis aut cæsis, dolorem illatæ cladis in Christi cultores vertit : quos dum consolatur, et allevat Frater Joannes Fernandius, ille S. Francisci Xaverii socius in Ecclesia Japonica fundanda, diem supremum obiit Firandi.

vexatur in Firandensis.

Defuncti Fr. Jo. Fernandii laus.

Magnas opes, mercatura facienda collegerat, priusquam iniret Societatem : quas dum bene partas augebat industria, invitatur ab amico ad symphoniam suavissimam in ædibus Societatis Olisippone audiendam. Adest dicta die. Deducitur in Sacellum bellissime adornatum, in quo ducenti fere sodales B. Virginis congregati, post ardoris plenam et pietatis cohortationem, depromunt flagella, et occlusis fenestris, inter singultus crebros, et lamentabile Divinam misericordiam inclamantium murmur, sese diverberant. Inexpectato concentu perculsus Fernandius, et intimo pœnitentiæ sensu tactus, nuncium profanis rebus remittere, ac Societatem ingredi constituit, annos duos et viginti natus. Simon Rodericius, unus e novem primis S. Ignatii sodalibus, adolescentem cernens lautum, divitem, nullis imbutum litteris, qui hoc unum obortis lacrymis flagitabat, ut operam Sacerdotibus ad ministeria domestica et infima navaret; tentandi ac periclitandi causa, quæsivit num paratus esset periclitationem, quæcumque ipsi proponeretur, subire? Paratissimum se esse Fernandius respondit, ac reipsa non mollem, nec valde usitatam subiit. Quare admissus in Societatem anno MDXLVII, et Goam post paulo profectus comitem se obtulit S. Francisco Xaverio. Hic Japoniam petiturus, cum P. Gasparem Barzæum, virtute, ac rebus pro divina gloria gestis inclytum, præficeret Indicæ provinciæ, non dubitavit illi

affirmare, ipsum longe adhuc abesse ab ea virtutis perfectione ad quam Fernandius, etiamnum tiro, processerat : Et Cosmus Turrianus fundatam quidem a Xaverio Japonicam Ecclesiam dictitabat, sed eamdem absque Fernandio fuisse brevi ruituram.

P. Augerii curâ servatur Lugdunum.

Nihil minus Augerio suo Gallia debuit, quam Fernandio Japonia. Videbat ille quanti esset momenti ad Galliæ decus et religionis catholicæ præsidium eniti ut Lugdunum contra regni et Ecclesiæ perturbatores muniretur, quos constabat in omnem urbis nobilissimæ et emporii celeberrimi occupandi occasionem imminere : tanto vigilantius in quotidiana veluti specula excubabat. Improborum consilia odoratus, qui noctu in mœnia subrepere parabant, adit Archiepiscopum et primarios Magistratus; iis quæ cognoverit, narrat. Cum periculi magnitudinem vix animo caperent, prope invitos compulit ut dispositis militum stationibus vias occuparent, communirent portas, et ad omnem eventum parati excubarent. Cognitum est paulo post, si quatuor tantum horis cessatum esset, civitatem in perduellium manus fuisse venturam. Adventabat illorum exercitus per noctem, constitutumque inter conjuratos erat, ut qui stabant intra mœnia, portas recluderent; per quas admissi ceteri trucidarent oppidanos, Augerium igne vivum torrerent. Hæc omnia cum Edmundus certis auctoribus comperisset, simul rescivit datum fuisse communiter signum copiis perduellibus,

ac definitum tempus, quo pars mœnia insiliret admotis scalis, pars irrumperet in patentes portas, nempe quando mediæ noctis signum a majore quodam civitatis horologio ederetur. Statim urbem concursans operam dat ut horologia omnia confuso ac perturbato strepitu nihil certum sonent; illud vero majus, cujus ferali voce prodenda civitas erat, omnino conticescat. Adsunt hostes per tenebras, signum expectant aure suspensa. Sed cum ab illo majore horologio nihil quidquam audiretur; alia nihil certi renunciarent, nonnulli moram exosi fecerunt impetum in muros, et a paratis militibus facile dejecti sunt : alii subinde aliis irrumpentes locis citius, seriusve, prostrati singillatim, aut vulnerati, absona consilia sagacitate unius hominis elusa esse doluerunt. Quis fuerit orto die, et vulgata rei fama, civium concursus ad gratias Edmundo referendas, pronum est e beneficii et periculi magnitudine suspicari. Quanto veriores justioresque laudes erant, quas ipsi conservata civitas tribuebat, tanto erant hæreticis molestiores. Qui cum insidias illi quotidianas struerent; primores urbis custodiam ipsi militarem et stipatores corporis addiderant. Sed omni custodia firmius erat præsidium charitas et benevolentia civium, quorum plerique ab ejus latere diu noctuque non discedebant.

Urbis amantissimæ studiis vicissim egregie respondebat : ejusque charitas, et animus mortis

contemptor, tunc maxime patuit cum pestilentia Lugdunum pervadens, funestam late stragem edidit, adeo ut plerique inter colloquendum exanimati conciderent. Cunctis passim diffugientibus remansit Edmundus, ægrotantium spes, morientium solatium, huc illuc inter utrosque discurrens et vitam singulis momentis in discrimen certissimum offerens. Eodem auctore civitas votum Lauretanæ Deiparæ fecit, quo nuncupato, compressa vis mali paulatim elanguit. Lugdunenses Augerio, tanquam salutis publicæ parenti, egere gratias, et Carolus IX Galliæ Rex, cum Lugduno transiret, illum benigne complectens, enixe hortatus est, ut de regno suo, ac de se bene mereri pergeret.

Ejusdem in civitate labores.

Is eodem Carolo jubente ordinarias in regia conciones habuit, et primus e Societate Jesu in Gallia regii concionatoris munere functus est; quod eadem populi procerumque approbatione gessit sub Henrico III cui a sacris etiam confessionibus fuit. Apud hunc et Carolum IX tanta valebat auctoritate, nihil ut ab utroque non exoraret. Itaque cum sacer Capucinorum Ordo, recens exortus, ægre locum inveniret in Gallia, egit summo studio, ac demum perfecit, ut admitteretur : invitis sane ac repugnantibus nonnullis quibus displicebat Evangelica, quam profitentur, et habitu ipso præ se ferunt, paupertas et pœnitentia, eo tempore, quo morum severitatem, opinionum licentia vehementer laxaverat.

Primus in Gallia Regis concionator.

Ejus opera Capuccini in Galliam accepti.

Stanislaus Kostka in Societatem,

Exitum hujus anni nobilitavit B. Stanislai Kostkæ ingressus in Societatem Jesu, ex qua paulo post in Beatorum Societatem transiit. In oppido Poloniæ, Rostkovo, natus anno MDL, ibi vitam innocentissimam usque ad annum ætatis tertium decimum duxit. Inde missus in Austriam, studiorum causa, annos admodum quatuor Viennæ consumpsit; primum quidem in adolescentum nobilium et catholicorum contubernio, cujus curam Societas gerebat; deinde in Lutherani hospitis ædibus: ita placuerat fratri ejus majori natu, cujus inhumanos ac minime fraternos mores insigni patientia tolerabat. In his ædibus cum incidisset in gravem morbum, nec ei per hospitem hæreticum cœlestis Viatici copia fieret, divinum panem, sequestra et conciliatrice Diva Barbara, cujus opem imploraverat, ab Angelis accepit. Mox ipsius Reginæ Angelorum conspectu dignatus est, quæ puerum Jesum in ejus gremio deponens, monuit, ut se in Societatem Jesu, cooptandum curaret. Id quidem ille, postquam convaluit, sedulo est aggressus. At Socii Viennenses adolescentem recusabant admittere, offensionem ejus parentum reformidantes. Ergo consilium generosus puer cepit Dilingam fugiendi ad P. Canisium Superioris Germaniæ Provincialem, et nisi ab eo reciperetur, Romam usque proficiscendi, ad ipsum Generalem Præpositum Societatis. Prætextum fugæ facilem dabat fratris asperitas, qui sæpius ipsum in malam

rem facessere jusserat. Sumpto mendici cultu, proripit se ex ædibus. Dilingam ingressus jubetur a Canisio, explorandæ constantiæ causa, convictoribus verniliter ministrare. Movit admirationem Canisio pueri virtus, et in tanta nobilitate tam Christiana humilitas : adduci tamen non potuit illum ut reciperet, eadem reformidans, quæ Sociis Viennensibus metum incusserant. Volentem instantemque mittit ad Borgiam, et comitem duobus e Societate Romam petentibus adjungit. Borgia, consulto prius Deo, et quantus hic puer futurus olim esset præsagiens, eum tironibus adscripsit quinto Calend. Novembres. Adolescentis parens atroces ad eum litteras e Polonia dedit. Sed cum flecti filium posse desperaret, videretque sibi rem fore cum Pio V et Francisco Borgia, quos religiosam defensuros causam non dubitabat, quievit.

Annus Christi 1568 : Societatis 29.

Tunc enim vero explicuit se tironis beati præclara virtus, et per omnes religiosæ perfectionis gradus ita subito, ac naviter procurrit, ut ad ejus culmen et beatæ mortis præmium non totis decem mensibus pervenerit. Illud in primis memorabile, quod igne Divinæ charitatis ita soleret inardescere, ut ad refrigerandum cor, beato succensum æstu, panniculi frigida imbuti pectori essent admovendi. Quarto Idus Sextiles febricula tentatus, quinto post die, cum se prædixisset moriturum, quasi

et in cœlum admissus.

a B. Virgine ut rogaverat vocatus, excessit hora post mediam noctem tertia, decimo octavo Cal. Septemb. Significata statim est uni e nostris ejus in cœlo gloria, consignata litteris vita, exposita imago publice ad venerationem, Apostolica auctoritate; sanctitas denique miraculis frequentibus illustrata. Ipse autem in Beatorum numerum relatus est anno MDCIV, a Clemente VIII. Nec sacris cineribus honor suus defuit. Illos Romana Probationis domus servat in aræ ipsi dedicatæ penetrali sinu, appensis hinc inde votivis tabellis compluribus ac donariis. Exstat in eadem Probationis domo conclave, ubi purissimam animam Deo reddidit, quod anno MDCCII R. P. Thyrsus Gonzales, Societatis Præpositus Generalis tertius decimus, elegantissime adornatum, pietati visentium aperuit; Clemens XI præsentia sua cohonestavit, ac venia noxarum adeuntibus impertita, locupletavit.

Prima Procuratorum Congregatio.

Beati adolescentis tumulum, non sine suavissima ejus virtutum recordatione venerati sunt Patres Romam e provinciis delati ad Congregationem Procuratorum, cujus instituendæ causa hæc et origo fuit. Ut Generalis Præpositus singularum Provinciarum statum non solum per litteras, verum etiam per certos homines, in Urbem missos cognosceret, decreverat S. Ignatius, ut e singulis Europæ Provinciis, tertio quoque anno, Romam aliquis accederet. Id Lainii tempore ita observatum fuit, ut neque stato tempore isti e Provinciis miss

convenirent in Italiam, nec peculiarem haberent Romæ cœtum, aut de ulla re in commune deliberarent. In secunda Congregatione, cum Borgia sententiam Patrum exquisivisset, de certo tempore Congregationibus Generalibus habendis constituendo (nullum enim Ignatius definiverat) iique in varias abirent sententias, censuit ut qui tertio quoque anno in Urbem venirent e Provinciis lecti Procuratores, præter cetera capita, quæ cum Præposito Generali tractanda deferrent, illud præcipue deciderent : habenda, nec ne Generalis Congregatio videretur? Sancitum pariter est, ut ad hanc Procuratorum Congregationem, quatuor quidem votorum Professi, at non ipsimet Præpositi Provinciales, legerentur : et ad eos eligendos proprius in qualibet Provincia cœtus indiceretur. Ex his legibus habita est Romæ prima Procuratorem Congregatio VI Nonas Octobris, et unanimi consensu declaravit nihil esse cur cogeretur Generalis Congregatio.

Nimirum fruebatur domestica pace Societas, moderante cœlestibus consiliis familiam sibi commissam S. Francisco Borgia. Unus illum et carissimos filios urebat dolor et sollicitudo de publicis Ecclesiæ calamitatibus, quam impiorum vesana rabies lacerabat, præsertim in Belgio, ubi conjurati perduelles contra Hispanos, civitatum excidiis et sacrorum strage funestam libertatem, et furiosam licentiam exercebant. Fieri quædam ad pacem

Quo statu res in Belgio?

inclinatio visa est hoc anno, et per hanc brevem malaciam octo Socii Tornacum reversi, solita munia scholasque utcumque instaurarunt, in ædibus Joannis Gobertii, Sacellani, ut vocant, Templi B. Virginis. Leodium, cum Antistes domum emisset, qua dum pararetur Collegium, præcursores aliquot uterentur, P. Costerus duos misit Sacerdotes Vincentium Verium, et Christianum Dalmensem, qui tanquam in statione Leodiensibus præsto essent. Trajecti ad Mosam P. Henricus Dionysius, Neomagensis, versabatur mirifice divinum cultum conservans restituensque, ubi dudum ante illum P. Petrus Faber suis concionibus desiderium Societatis excitaverat. Interim publice, primus de Societate Lovanii, linguam hebraïcam docebat P. Joannes Harlemius, vir insignis pietatis atque doctrinæ.

Collegium Duacense.

Per idem quietis alicujus intervallum Duaceni collegii fundamenta jecerunt Joannes Lentaillerus, Abbas Monasterii Aquicinctensis, et ejus Monachi Benedictini Sancti Salvatoris. Ortum est aliquid altercationis ab Academia, sive Universitate Duacena, quæ nostros in Academiæ leges jurare omnino volebat. Litem secuit Pius V, et collegium ab Universitatis jurisdictione liberum et immune pronuntiavit. Suberat alia quoque dissidendi causa, quod Societas gratis doceret, ac nemo fere sit, quin doctrinam inemptam habere malit, quam emere quolibet licet vili pretio. Huic autem

incommodo et scholarum suarum formidatæ solitudini occurrendum Academici putaverunt, si gratis quoque ipsi suis in collegiis docerent. Opportunum sane tollendis querelis et incitandæ magistrorum æmulationi remedium. Nam ubi cetera paria erant, unicum ad frequentandas scholas relinquebatur certamen eruditionis et industriæ. Sed ista conditio neque statim omnibus academicis, neque diu ceteris placuit. Jocus tamen et ludus erant istæ contentiones, si comparentur cruentis dimicationibus, quas impiorum factio brevi redintegravit, quando tumultuariis populi cohortibus oppressi Patres, collegium Duacenum destituere coacti sunt, ut anno suo dicetur *. * *anno* 1578.

Quales Calvinianos experiebatur in Belgio Societas, tales in ora Malabarica Mahometanos sensit P. Franciscus Lopius. Goam Cocino petens cum quatuor Sociis, incurrit in Mahometanorum triremes. Conseritur acre certamen. Oneraria quæ Patres vehebat, inter barbarorum naviculas exstans, hostiles ictus excipiebat impune, et quacumque se vertebat stragem hominum naviumque, displosis tormentis, faciebat, cum infelix casus victoriam repente prædonibus obtulit. In sulphurati pulveris apothecam incidit scintilla. Igneus turbo proram impetu primo diffractam, cum vectoribus et militibus, in undas excussit; reliquum navigii corpus instar fornacis totum arsit. Mahometani exceptum P. Lopium urgent, ut

P. Lopius a Mahometanis odio Christi cæsus;

ejurato Christo, in Mahometis verba juret, vita et libertate, si morem gerat, promissa. Abneganti, et facinus impium detestanti, adigunt in medium pectus hastam, caput amputant, cadaver in mare provolvunt. Quid factum sit de duobus ejus junioribus sociis Joan. Caravalio, et Emman. Lupio, utrum aquarum, an hostium vi perierint, cognitum non est. Quartus illius comes Antonius Dinis, Diaconus, male ab impiis mulctatus, bis veniit, et omnia servitutis acerbissimæ incommoda diu pertulit. Tandem redemptus pecunia, cujus sola spes barbaros a nece illi sæpius inferenda deterruerat, Goam se recepit. Franciscus Lopius natione Lusitanus erat : annum agebat in vita undequadragesimum, in Societate vigesimum. Diu moratus in India, plurimos indigenas familiari congressu et nativa quadam comitate ad Christum adduxerat disciplinæ religiosæ observator diligens, et in obsequio divinæ Majestatis nihil leve existimans. Emmanuel Lupius, seu Lovus, duos ac triginta natus annos, quorum undecim in Societate duxerat, ad sacros Ordines se comparabat. Joannes Carvalius in domesticis Marthæ ministeriis fideliter et sancte versabatur : ætas annorum triginta, tredecim in Societate traduxerat.

ejus comes abductus in servitutem.

Aliis in locis oræ Malabricæ Christiana res bellissime procedebat. Porca oppidum, leucas circiter viginti Cocino abest, cognominis regni caput. Ejus Regulus multa beneficia iis, qui ad Christum

Prosperæ res apud Indos in Porca,

accedebant, indulsit. Plurimi divinam legem professi sunt in ora Travancoride, favente Regulo, quamvis ethnico, adeo ut in eo tractu quinque et viginti pagi Christianorum, eorum vero quindecim millia numerarentur.

Magnas insulis Molucis clades intulit Mahometanorum immanitas. Sed illorum furorem et arma opportune compressit Consalvi Pereriæ, ductoris Lusitani virtus. Ejus adventus Regem Cionis (est Cion e sex regnis insulæ Celebis unum) in Cione in spem recuperandi regni erexit. Hunc sui ejecerant odio Christianæ legis, quam a paucis annis profitebatur. Patres occasione utendum rati, dederunt operam ut Rex a Lusitanis in regnum restitueretur. Præterea ejus patrem, prudentia et canitie venerandum senem, salutari tinxerunt fonte. Demum ipse Rex, filium natu maximum illis obtulit, in collegio Ternatino educandum. Lætitiam cumulavit procerum legatio a Rege Sanguinæ, petentium Sacerdotem a quo fierent Chris- in Sanguina tiani. Ut fidem dictis facerent, comam, quam ritu mulierum promissam gerunt, et cui tanquam sacræ parcunt, ultro secuerunt. Addidit suas quoque preces Rex Cionis, affirmans viros esse probos, longo sibi usu cognitos, et propter loci propinquitatem utriusque gentis interesse, ut hoc sanctiori quoque vinculo jungerentur. Nec dubitavit, instructis octo naviculis, ipse cum Patribus Sanguinam petere. Venientibus occurrit Rex, cum

proceribus universis, et caros hospites Calongam, urbem primariam, deduxit. Diebus aliquot in explicanda lege Divina consumptis, Fidei Sacramento initiati sunt. Ad fabricandam Crucem nobilis juventus adhibita, ut pio labori non indiguæ et plebejæ manus admoverentur. Fabricatam ambo Reges subjectis humeris in destinatum locum detulere, nobilitate adjuvante, prosequente populo, et extrema triumphalis patibuli contingere gestiente. Ut erecta stetit, procubuit in genua cum Regibus multitudo, et salutis humanæ vexillum adoravit, lituis, et festivo cantu perstrepentibus. Ægre dimissi sunt Patres; Sacerdotem et baptismum flagitabant Barachini, numerosa Celebis natio. Datum est quidquid opis afferri, pro re ac tempore illis potuit. Pacem qua religio fruebatur turbarunt Ituani et Jai, utraque aggressi mature. Lusitani, commissa feliciter pugna cohibuerunt. In ipso prælio Patres primo in agmine, prælata Cruce militibus animas addebant. Fructus duplex victoriæ fuit : primus, concordia barbarorum, qui perpetuis antea bellis inter se collidebantur; alter, incrementum religionis, quæ potissimum pace floret. Itaque paucis mensibus octo millia in Ecclesiam adscripta sunt.

In Japonia Socios ex ingenti metu lætitia non minor affecit. Dubium nemini erat quin cæso, ut narratum est, Imperatore, certa illis et religioni pernicies immineret; tum quia fuerant

Imperatoris ornati benevolentia, tum quod Bonziis Foquexiis, quæ secta est perditissima, et infensissima nomini Christiano, Daxandonus unice favebat, dux sicariorum qui violentas Principi manus attulerant. Jamque rumor de nece constituta præconibus Evangelii spargebatur; jam agmen militum cum facibus ad sacram ædem concremandam ruebat, cum trecenti nobiles Christiani pro illa tutanda constiterunt ad fores, et vim impiam prohibuere. At Bonzii Daxandonum adeunt, templum ad flammas, Christianos ad carnificinam, Patres ad necem deposcunt. Daxandonus Christianæ nobilitatis sive precibus, sive metu, permotus: Placet, inquit, Doctores peregrinos ejici Meaco, interfici non placet. Antequam edictum hoc promulgaretur, auctores fuere Patribus amici, ut Meaco excederent, ne turpiter, ac majori postea cum periculo pellerentur. Sacaium concessere, ubi christianus grex, magnis incrementis auctus est, ipsismet Bonziis, cum sua schola discipulisque, ad veritatis partes transeuntibus. Inter hæc Meaco potiti proditores famam spargebant, conservatum a se Cavendonum, Imperatoris fratrem, studiosum pacis hominem, cui restituerent imperium, tyranno (sic appellabant Quonquenindonum) sublato: seque Cavendoni dumtaxat ministros et legatos prædicabant. At ille, probe intelligens id agere perduelles, ut captato tempore, Japoniam inter se partirentur, seque ipso

Meaco in tumultu Patres.

profugi et

rum ambitioni victimam destinatam esse, profugit e cœnobio, in arcem permunitam, ubi cum aliquot proceribus Imperatoris necem et sicariorum audaciam indigne ferentibus, consilia de illis perdendis agitavit. Inter illos proceres præcipui numerabantur Nobunanga Rex Oaris, Vatandonus, ejusque frater Darius, ille Christianorum patronus; hic etiam Christianus.

Erat Nobunanga ingentis animi vir, et magnæ fortunæ par. Indoles utcumque proba, et amans æqui rectique; ambitio ultra modum; ingenium solers, et acre; mens vafra, omnia penetrans et introspiciens, nulli penetrabilis et perspicua; usus rei bellicæ, et notitia singularis; religio nulla, imo Japonicæ superstitionis et Bonziorum contemptus, quippe quorum simulationem et scelera noverat. Is igitur, una cum Vatandono, fratrem Imperatoris in solium reponere aggreditur, illud postea sibi usurpaturus. Momento stetit acies utrimque instructa. Hinc perduelles pro retinendo imperio; inde Vatandonus et Nobunanga, pro ulciscenda Imperatoris morte certant. Summa rerum in pugnæ unius alea. Vicit ad extremum causa melior, et Cavendonus Meacum a victoribus triumphantis in morem inductus est. Hic enimvero Darius Vatandoni frater, oblatam putavit occasionem revocandæ Meacum Societatis : neque ausus est abnuere Cavendonus, quamvis Christiano infensus nomini. Quid enim iis negaret, quibus

revocati.

vitam et Imperium debebat? Meacum advolans P. Ludovicus Froës ab eo acceptus est perhonorifice *. Conscriptum diploma his verbis: *Fas esto Patri Ludovico Froës, Meaci degere ac legem Christi libere prædicare. Nemo detrimenti quidquam afferat ejus ædibus, templove. Eidem potestatem facio manendi meis in regnis, ubicumque libuerit. Si quid molestiæ illi facessere quisquam ausit ultorem me sentiet.* Inscriptio hæc diplomati præfixa legebatur. *Christianæ legis Patri, in Ecclesia quæ veræ doctrinæ vocatur.* * *anno* 1569.

Tam incredibilis, tam optata rerum conversio Romanum Pontificem induxit, ut Ecclesiæ Japonicæ proprium pastorem daret. Is fuit P. Melchior Carnerius, Nicænus olim Episcopus consecratus, XVIII Cal. Januar. an. MDLX, ut P. Andreæ Oviedi Patriarchæ Æthiopiæ adjutor et successor foret. Sed cum Æthiopia colonorum labori maligne responderet, et spem frugis exiguam Oviedus alere pergeret. Pius V Carnerium Japonicæ et Sinensi Ecclesiæ præesse jussit. Melchior Carnerius Japoniæ et Sinæ Episcopus.

Annus Christi 1569 : Societatis 30.

Quanto fœdius catholicam Fidem repellebat, infelix Æthiopia, tanto gloriosius eamdem Gallia retinebat contra nefarios Calvinistarum conatus. Qui cum viderent ex urbe Parisina tamquam ex capite in alias civitates derivari studium avitæ In Galliis

pietatis, ipsam exscindere Lutetiam et suo sepelire busto statuerunt. Indicium imminentis exitii magistratibus fecit P. Petrus Oliverius; et incendii parati vestigia manifesta plurimis in locis deprehensa sunt. Quod insidiis efficere scelerati nequiverant, vi armisque tentarunt; utrimque ventum est ad arma : et quamquam copiæ catholicæ stimulis non egerent in tam bona causa, visum est tamen interponere aliquot Sacerdotes, qui militum animos sacramentorum præsidio confirmarent. Augerium in primis Rex et Regina delegerunt, quem Cardinalis Lotharingus Parisios, et in regiam ipsam produxerat; ubi crebris et incitatis concionibus aulam ac civitatem, studio conservandæ religionis inflammabat. Inde velut ex umbra in campum et solem est profectus ad gloriosam expeditionem, in qua Galliæ salus agebatur, jam tertium civili sanguine inundantis. Acies catholica constiterat ad Jarnacum (oppidum est in Santonibus). Prodiit in concionem, eversamque ab impiis ædem sacam ostentans, exercitum ad piam ultionem accendit, adeo ut relatæ paulo post victoriæ, pars illi magna non immerito tribuatur. Quo die feliciter pugnatum est, cum rem divinam in castris fecisset, ac cœlesti fortium pane Regis fratrem Henricum, Regii exercitus ducem refecisset : Ito, inquit, magna voce illum compellans, ito Princeps, pugna, et vince. Hoc tibi, auctore Deo, cujus causam tueris, et sponsore denuntio. Ivit

opera datur militibus.

Henricus, pugnavit, vicit. Nec semel tantum vicit, sed iterum paucis post mensibus, commisso ad Monconturium prælio, prudentia pari, majori etiam felicitate, cæsis perduellium duodecim minimum millibus, paucis e catholico exercitu desideratis. Non parum ad hunc posteriorem triumphum momenti attulerunt Pii Quinti Pontificis Maximi copiæ, cumque iis lecti de Societate Sacerdotes, qui juvandis ægris, fovendis vulneratis, integris omni ope sublevandis arma religiosæ militiæ non segniter tractaverunt.

Variæ ibidem expeditiones apostolicæ.

Fuso pulsoque hoste Socii magnam regni partem obierunt ad confirmandos catholicorum animos, et colligendum geminæ victoriæ fructum; quem si regiarum duces copiarum capere, quantum licebat, maturassent, non erexisset se feralis hydra, neque in nova deinde capita succrevisset. Possevinus ab Regis castris Rothomagum petiit, ubi bis interdum in die, aliquando etiam ter, ad frequentem clerum, senatumque verba fecit; amplius tria piorum librorum millia per populum sparsit, et pueris instituendis, quod illi solemne ac perpetuum erat; non modo illud profecit, ut veritate catholica rudis ætas imbueretur, verum etiam ut hæreticorum plerique melius edocti, ad Ecclesiæ sinum redirent. Inde procurrit Deppam, oppidum Normanniæ, qua Britannicus Oceanus Galliam inter Angliamque constrictus, utramque modico freto dirimit. Eo docente, civium tria fere

millia erroribus publice detestatis ad catholicorum partes sunt reversa. Paulo antea rem in vulgus longe gratissimam perfecerat Massiliæ. Stabat in portu classis Regia; erant in ea remiges ad tria millia, improbum vulgo genus, et ad pœnam ob scelera damnatum, at in iis fere obfirmatum, ac propterea etiam incultum. Nemo valde curabat infelicem solari turbam, et animabus in hac flagitiorum sentina misere pereuntibus subvenire. Quod ubi cognovit Possevinus, regiæ classis Præfectum, Provinciæ Proregem, et alios ad quos ea spectabat cura, convenit, cunctosque ita permovit, ut omnium consensu constitueretur in posterum Sacerdos, qui statis concionibus habendis, et ministrandis sacramentis, hanc nauticam colluviem perpurgaret. Præterea, cum hæretici remiges catholicis permixti essent nullo discrimine, illos ab istis curavit segregandos. Postremo ut operis totius veluti specimen daret, erexit aram ingentem in littore; educti sunt remiges e navigiis omnes ad accipiendum cœlestem Eucharistiæ cibum, et ex omni numero centum sexaginta in libertatem asserti.

In agros Pictaviensem et Santonensem Socii sex, Regis et Cardinalis Lotharingi postulatu, effusi, doctrinæ salutaris lucem circumtulerunt. Trigesimus agebatur annus, cum bacchatus per hanc oram ferro et igni Calvinianus furor, tetram animis caliginem offuderat. P. Bartholomæus Gue-

randus catholica sacra instauravit Isidori. Ea civitas receptaculum quoddam erat hæreticorum Arverniæ qui ad disputandum invitati, cum adfuturos se promisissent, vadimonium deseruerunt. At catholicus theologus adversariorum metu factus audacior, illorum malas artes proferre in medium exorsus, et rationum tendiculas dissolvere, plurimos ad partes recte sentientium reduxit; reliquos ita concussit, ut cum nihil certius errore suo arbitrarentur, jam inciperent (qui primus est gradus ad errorem deponendum) dubitare. Non segnius, nec minore successu inter Auscitanos munia militis Evangelici, ducisque, P. Annibal Codrettus exercuit; itemque P. Petrus Christinus in oppido S. Spiritus, prope Avenionem. Oliverius Manareus sapienter ac vere secum reputans non alio e fonte derivari hæreses, quam e peccatis populi, quibus et cœleste lumen obscuratur, et pietatis ardor extinguitur, sodalitatem instituit in urbe Deppensi, cujus ea lex erat, præter cetera virtutis officia ut sodales (octingenti facile numerabantur) singulis mensibus purgatum sacra confessione animum cœlesti dape nutrirent. Non alia magis arte, quam ejusmodi piis sodalitatibus publicam privatamque pietatem fovebat augebatque P. Edmundus Augerius. Operum ejus est ea Tolosæ, quæ nomen habet a Misericordia. Ejus leges præcipuæ sunt ut sodales unam aliquam e publicis custodiis invisant singulis hebdomadis, curentque

Sodalitas misericordiæ.

habendam ad vinctos feria qualibet sexta concionem; ut suppeditent ægrotantibus cibos et medicamenta, valentibus vestes, culcitrasque; obæratis nummos, causidicos litigantibus; supremo supplicio afficiendis solatia et sacramenta; mortuis demum exequias adornent. Idem Edmundus Lugduni primum instituit, quod in alias deinde manavit civitates, ut vaga mendicabula unum in domicilium colligerentur, ubi exercerentur labore utili; vel, si labori par ætas aut valetudo non esset, alerentur publico sumptu; vel denique instructi viatico domum remitterentur. Sic depulsa mendicantium et obstrepentium in templis, in vicis, in privatis ædibus molestia; sic otium, scelerum fomes, mutatum honesta occupatione; sic animis miserorum, corporibusque consultum.

Sodalitas Romana, B.V. Annuntiatæ.

Sed nusquam utilius erecta sunt ejusmodi Sodalitia, quam in collegiis Societatis, sub nomine et clientala B. Virginis. Nata est quodammodo ipsa Societas Jesu in Mariæ sinu. Itaque ejus cultum peculiari studio amplectitur, et inserere mortalium omnium animis laborat, præsertim puerorum, quos hoc suavissimo lacte pastos facile adducit *in mensuram ætatis plenitudinis Christi* *. Prima omnium ejusmodi sodalitatum condita fuit in collegio Romano anno MDLXIII sub Deiparæ ab Angelo salutatæ nomine ac patrocinio : alteram hic annus peperit, in eamque cooptati sunt minores natu pueri, cum in priorem

* *Ephes.* 4.

conscriberentur tantum majores annis duodeviginti. Aliæ deinceps, atque aliæ tum in collegiis tum in domibus Professorum, institutæ sunt; nec modo puerorum, sed virorum, sed sacerdotum, civium nobilium, et honestæ sortis artificum; omnes arbitrio Præpositi Generalis et assensu, aggregatæ ad primariam illam sodalitatem Romanam, Virginis Annuntiatæ vulgo dictam; quam Summi Pontifices plurimis beneficiis et indulgentiis ita ditaverunt, ut illa omnia, cum aliis ad eam aggregatis sodalitatibus communicata vellent. Porro si quis roget quibus exercitationibus tum privatis tum publicis pietatem sodales suam alienamque promoveant? conveniunt certis diebus eumdem in locum, ad fundendas preces, audiendum Dei verbum, usurpanda Sacramenta, et res divinas attenta mente tractandas. Inde prodeunt in tuguria pauperum, ut sublevent eorum inopiam; in valetudinaria, ut ægros consolentur; in custodias, ut vinctis quamcumque licet opem afferant. Ita B. Virginis cultus, eâdemque operâ cultus et amor Christi mirifice propagatus est; sicut enim per Christum ad Patrem, sic ad Christum per ejus Matrem sanctissimam accedimus.

Confer Hist. Soc. Part. I. lib. 7. n.° 7.

Non leve ad augendum hunc Deiparæ cultum et venerationem momentum attulit, imago ejusdem Divinæ Matris expressa ex archetypo per divum Lucam olim picto, quod Romæ in Basilica Liberiana servatur. Nemini, ante S. Franciscum

Imagines B. V. ex S. Lucæ archetypo, etc.

Borgiam data potestas traditur imitandi hujus archetypi, cujus deinde exempla Orbem Christianum impleverunt. Hanc vero potestatem, non invitatus fecit Borgiæ Sanctus Pontifex Pius V, pro suo singulari erga Deiparam studio, et pro solita benignitate erga Præpositum Generalem, atque Societatem universam; cui proprio diplomate concessit ut indulgentiarum Ordinibus religiosis mendicantibus concessarum communione gauderet, quorum privilegiis jam fruebatur. Idem S. Pontifex in locum P. Benedicti Palmii, post conciones in Palatio Vaticano per totum annum habitas, Neapolim accitu quorumdam Cardinalium profecti, subrogavit ad easdem in Vaticano conciones P. Alphonsum Salmeronem; et Salmeroni Franciscum Toletum, qui deinde apud Gregorium XIII, Sixtum V, et reliquos Pontifices per annos amplius duos et viginti, dixit, summa omnium et constanti approbatione; quoad inter Sacri Collegii Patres a Clemente VIII cooptatus est. Moliebatur interim Pius V emendatiorem sacrorum bibliorum editionem : cui cum aliquot exploratæ sapientiæ Cardinales, atque theologos præfecisset, inter illos PP. Emmanueli Sa, et Petro Parræ locum esse voluit. Idem P. Laurentium Magium misit* in Poloniam ad Sigismundum Regem, qui conjugem suam (ea Maximiliani Cæsaris soror erat) ob sterilitatem dimittere, alteramque velle ducere dicebatur : quod exemplum magnæ procul dubio apud omnes offensioni

* *anno* 1571.

futurum erat. Idem alios e Sociis imposuit classi, quam Joannes Austriacus in Hispaniam, ad sedandas rebellium Granatensium turbas ducebat : alios denique collegio Pœnitentiariorum ad S. Petrum præfecit.

Aliqui PP. Pœnitentiarii instituuntur.

Hujus collegii hæc origo proditur. Romani Pontifices jam pridem instituerant contubernium undecim sacerdotum, qui Apostolico Sacræ Pœnitentiæ foro præessent. Contubernii dux et Præses erat Cardinalis, titulo Pœnitentiarii Majoris insignitus. Ex omni fere Christiani nominis natione deligebantur ejusmodi Sacerdotes, ut fidelis populus, dum sanctam in Urbem undique concurrit, Sacerdotes patrii sermonis gnaros inveniret. Partim e clero, partim e cœnobiis sumebantur, et Italis bini, bini Gallis, totidem Hispanis operam dabant; unus Anglis, Scotis, et Hibernis; unus item Polonis, Bohemis, et Illyriis. Tres alii Germanis, Pannonibus, et Belgis. Suam singuli domesticam rem, sub communi tantum tecto, administrabant. Negotii vero non parum erat tot homines conquirere, muneri tanto idoneos, et in Urbem arcessere : nec minoris molis, eosdem in ea diu retinere. Quamobrem hæc inoleverat paulatim consuetudo, ut Vicarios sibi sufficerent, eosque a doctrina non satis interdum aut a moribus instructos. Id Pius V intelligens, tribunalia præcipua Urbis destinata Pœnitentiæ inter familias religiosas distribuit, e quibus necessarii

Sacerdotes certius faciliusque peterentur. Ergo ad S. Mariæ Majoris Basilicam Dominicanos; ad Lateranensem Franciscanos observantes; ad Vaticanam Patres Societatis collocavit. Postquam Pontificis mentem ex Cardinali Alciato cognovit Borgia, extimuit, ne quid invidiæ in Societatem inde redundaret; tum, ne daretur locus disciplinæ religiosæ atque obedientiæ debilitandæ : postremo, quænam hujus collegii futura forma, quis modus? His aliisque id genus incommodis occurrit sapientia Pontificis; ad eumque deducti Patres quinto Idus Junias sequentis anni MDLXX, et admoniti ab eodem de ratione et gravitate impositi muneris, statim illud auspicati sunt.

Missio in Monomotapa infausta,

Post luctuosam P. Consalvi Sylveriæ in Monomotapæ regno necem, Africana hæc Missio pene concidit. Redintegrata est hoc anno, cum duo Patres, totidemque Laici, regium Prætorem, Franciscum Barrettum, in Monomotapam proficiscentem sunt secuti : quæ tamen expeditio exitum exspectatum sortita non est; magna militum parte morbis cladibusque variis absumpta, neque ultra Mozambicum progressa.

et ad Cafros.

Non lætior fuit expeditio ad Cafros suscepta. Christianæ doctrinæ semen in solo aspero et spinis obsito, brevi exaruit. Adeo ut e Sociis unus, qui ægre animam illic inter quotidianos ferri venenique metus ducebat, in Indiam, ubi laborem utilius impenderet, revocatus sit. Nihilominus

anno MDCIV agmen evangelicum rursus inferre novas in hanc barbariem copias parabat. Batavorum classis hæc maria concursans, ne Christi milites mari se committerent impedivit.

Granatæ Albaizina Statio destituta.

Maurorum quoque perduellium in Hispania furor in causa fuit, cur Granatæ deperditum sit domicilium Societatis constitutum olim in ejusdem urbis regione quadam, Albaizino dicta. Hæc data Mauris fuerat habitanda, Christianos ritus amplexis, postquam Granatense regnum penitus in Ferdinandi Regis Catholici potestatem venerat *. Illorum plerique Mahometanam impietatem fovebant intus, dum foris Christianæ pietatis vacua et jejuna signa monstrabant. Eos tamen non penitus negligendos ratus Antistes Granatensis, Petrus Guerrerus, Socios aliquot in ea civitatis parte collocaverat *, ut saltem succrescens soboles religionem animis conbiberet, si parentes impietatem pergerent retinere. Novem circiter e nostris eo in loco morabantur, nec maligne labori culturæque messis respondebat, cum Rex de nonnullorum Præsulum sententia, existimantium evellendas omnino perfidæ superstitionis fibras, edixit ut vestibus uterentur Hispanis, ut Arabico sermone obliterato, Hispanice loquerentur : ut balnea, quæ ipsorum erant in urbe propria everterentur. His legibus efferati, de Christianis opprimendis conjurarunt, armisque correptis nullum crudelitatis aut sacrilegii genus omiserunt. Variis affecti cladibus

* *anno* 1492.

* *anno* 1559.

ad extremum sunt pulsi toto regno, ac si qui manserunt in Hispanorum fide, Granata procul in varia interioris Hispaniæ oppida distributi fuerunt hoc anno MDLXIX. Ad hunc modum Albaizina statio destituta est. Cum vero metus Regem incessisset, ne rebellibus auxilium Africa submitteret, adornata est classis ad littora custodienda; dati Socii, qui militibus adessent. Classem fœda tempestas toto jactavit æquore; partem hausit fluctibus, partem in Sardiniam, Baleares, Malacam, disjecit. Hinc magna seges charitatis et patientiæ nostris Sacerdotibus oblata; quorum indefessam sedulitatem admirans Antistes Malacitanus, ad collegium in urbe sua ponendum vehementius incubuit. Nobilis vero matrona, Elvira Avila, perspectis quos Granatense collegium edebat fructibus, iisdem locupletare Biatiam (Baeza hodie vocatur) patriam suam cupiens, hæreditatem legavit, qua collegium aliquando fundaretur. Conditum fuit anno MDXCIII. Eadem causa Interamnates in Samnio impulit, ut Societatem invitarent in urbem suam. Susceptum anno sequenti negotium est. Pulsis dissipatisque Mauris, non continuo pulsus omnis a perfida gente timor, acciditque decem post annis ut P. Alphonsus Lopius, cum iter faceret non procul Granata, deprehensus a Mauris grassatoribus, et ab iis crudeliter interemtus fuerit. Cadaver vix denique repertum, sed ita deformatum vulneribus, ut ægre agnosci potuerit.

Collegium Malacæ,

Biatiæ,

Interamni.

P. Alphonsi Lopii mors.

Domicilii Granatensis amissi jacturam compensarunt collegia Seguritanum, Huetanum, Orapesanum, Legionense, et Seguntinum. Seguritanum, et Seguntinum hoc anno; reliqua paulo post exorta sunt. Seguritanum conditore gloriatur Christoforo Rodericio de Moia, cive Seguritano. Huetanum, ceu Optense, Stephano Ortitio, cive pariter Optensi. Oropezanum, Ferdinando Alvaro Toleto, comite Oropezæ, ejusque fratre Francisco Toleto. Legionense, Joanne Sancti Æmiliani, Legionensi Episcopo. Seguntinum Cardinalis Spinosa designaverat; sed nemine post eum cœpta prosequente, intercidit. Collegia Seguræ, Huetæ, Oropezæ, Legione, Segunti.

Annus Christi 1570 : Societatis 31.

Fuit annus MDLXX memorabilis apparatu belli contra Turcas a Christianis Principibus instructi, quando Europa tota, ductu et auspiciis Sancti Pontificiis Pii V, ad propulsandum communem Religionis hostem se erexit. Hoc in apparatu cum aliqua pars et opera Societatis extiterit, nec minor in ipsa victoria, præstat arduam tanti belli tum comparati, tum gesti molem, anno sequenti quo patratum est reservare. Interim dum Heroës Christiani tela in ferocem Ottomanum expediunt; P. Joannes Maldonatus vocem et stilum contra domesticos, ut ita dicam, pietatis hostes exerebat. Pictavium cum aliquot Sociis ingressus, statim descendit in arenam, et adversarios ad certamen P. Joannes Maldonatus, Pictavii.

provocavit. Locum certamini delegit ipsam Urbis academiam. Videbat enim esse deliberatum hæreticis nunquam inferre pedem in templo catholicorum. Hoc illis initio non invitus indulsit. Verum postquam et comitate orationis et veritatis illecebra delinitos paulatim animadvertit, palam denuntiavit se in templo verba facturum per sanctiorem hebdomadam, idque remotis altercationibus et pugnaci controversiarum aculeo. Placuit hæc tam modesta denuntiatio. Convenere in templum frequentes, neque tantum infimi, et e media plebe, sed etiam principes civitatis quorum auctoritas plerosque in secta continebat. Omnes Maldonati accuratis disputationibus, tum etiam aliorum Patrum concionibus, ita fuerunt edocti et impulsi, nullus ut prope fuerit quin se paratum ostenderet ad abjiciendam hæresim, si modo paulum urgerentur, si rex juberet. Adeo pravus pudor (quod et Donatistis olim evenisse S. Augustinus narrat) obstrictas tenebat miserorum mentes, cunctantium in viam redire, ne se antea errasse faterentur. Ex quo etiam intelligitur sapienter, et pie facere Principes, dum illos ad cœnam Magni Regis intrare compellunt. Plus tamen apud multos veritatis amor et salutis valuit, quam inanis aut pudor, aut metus.

In emendandis catholicorum moribus negotii non minus fuit, quam in hæreticorum erroribus confutandis. Purgata est academia ejectis magi-

stris quorum mendosa vita, vel suspecta erat religio; voluminum corruptorum multitudo igne corrupta; templis dignitas, honor virtuti, mysteriis sanctissimis celebritas et veneratio restituta. Tota demum regio novam ac meliorem induit faciem, singulari cum fructu incolarum ac voluptate, qui affirmare non dubitabant et gratulari, se militum quidem regiorum armis a perduellium crudelitate; at doctrina et sermonibus theologorum ab opinionum tyrannide ac peste vindicatos.

P. Bellarmini conciones etc Lovanii.

Ab eadem opinionum insidiosa et exitiali novitate Lovanien es in Belgio Bellarminus defendebat. Is anni superioris verno tempore Lovanium missus erat, ut interim, dum studia Theologica persequeretur, latinis concionibus, quod olim Franciscus Strada, ac deinde Petrus Ribadeneira fecerant, Academicos adjuvaret. In templo S. Michaëlis dicere orsus erat, nondum Sacerdos : sed paulo post Gandavi initiatus est, a Cornelio Jansenio primo Gandavensium Episcopo, inclyta doctrina viro. Concionibus primo, deinde Theologicis scholis illustrari cœpit. Ad eum audiendum fiebat hominum ingens concursus non tantum ex amplissima, et eruditissima civitate, verum etiam e finitimis locis, atque adeo ex ipsamet Anglia, multique illo audito revertebantur in patriam catholici, unde hæretici discesserant. Docendi modum sequebatur non elimatum ad pompam, non captiunculis Metaphysicis et argutiis implexum, quas ut

scire parum juvat, sic nescire, nihil nocet : sed planum, rectum, auctoritate idonea, et ratione fultum. Ut vero sacram scientiam ex ipsis hauriret fontibus, linguam Hebraïcam perdidicit, ejusque præcepta probe cognita peculiari commentario illustravit. Deinde scriptores ecclesiasticos pene omnes evolvit, de quorum etiam scriptis genuinis aut spuriis egregie disseruit. Cur lucubrationem hanc ederet in causa præsertim fuit Michaël Baius, Doctor Lovaniensis cujus opiniones, a Romanis damnatæ Pontificibus per Academiam serpebant, sanamque doctrinam cœperant inquinare. Præter ea quidquid in Ecclesiasticis Annalibus, in actis conciliorum, in Pontificio jure continetur, id totum cognovit, digessit, excussit. Sic necessariam segetem parabat operi palmario *de controversiis Christianæ Fidei adversus sui temporis hæreticos*, quod jam tum meditabatur, ac parturiebat. Lovanio translati sunt hoc anno Tirones, ad Domum probationis Tornacensem, quam in loco saluberrimo Societati comparaverat Ludovicus de Winghene, Canonicus.

Conscientiæ mensa, Goæ.

Quoniam incidebant sæpe in India controversiæ inter theologos, non illæ quidem de Christianæ Fidei capitibus, sed de disciplina legibusque observandis adversus ethnicos recens ad Ecclesiam adductos, institutus est Sebastiani Regis jussu celebris Goæ cœtus (conscientiæ mensam vocant) in quo quidquid ad Regis conscientiam pertineret

sedulo tractaretur. In hunc consessum duos e nostris adscribi Rex voluit: Antonium Quadrium, et Melchiorem Nunnium. Neutri licuit id muneris declinare, quod ad obsequium Regis ac Religionis tutelam decusque vehementer visum est pertinere. Idem annus Goæ et vicinis locis ter mille et octingentos incolas ab idolorum servitute in libertatem Christianam asseruit. Nova templa, novæ piorum coloniæ conditæ ac proseminatæ.

Mors Cosmi Turriani, et res gestæ.

At in Japonia damnum ingens factum est amisso P. Cosmo Turriano. Annos septuaginta et quatuor confecerat, quorum unum et viginti consumpserat in excolenda spargendaque per Japoniam pietate, inter assiduos labores et immania pericula; Christianorum amore nescias illustrior, an odio Bonziorum qui tanquam suæ superstitionis eversorem ubique insectabantur? Hispanus erat, oriundus Valentia, ingenio atque eruditione vix ulli ætatis suæ secundus. In novam Hispaniam solverat circa annum MDXLII studio visendi alterius orbis, et aliquam utilitatem animabus destitutis afferendi. Mox in Molucas, vicinasque insulas, postremo Goam venit, ubi ab Antistite Goano creatus est Vicarius Generalis. Xaverium viderat in Molucis, et Apostolicam hanc vivendi formam admiratus, illi se discipulum et sodalem tradere cogitaverat: et quamvis Archiepiscopi Goani, populique summa approbatione gereret impositum officium Vicarii, tamen recursabat animo illa

cogitatio, injecta sibi divinitus, ut putabat, imitandi Xaverii; et eum perpetuo stimulus hic dies noctesque pungebat.

Cum ingravesceret intestina perturbatio, se contulit in Collegium Societatis, et P. Lancillotto sese aperuit, simulque rogavit ut explicaret sibi paulo distinctius Institutum legesque Societatis. Ubi ventum est ad illius caput de Spiritualibus Exercitiis a S. Ignatio excogitatis ad disquirendam Dei voluntatem in conditione vitæ capessenda, nullam interposuit moram, quin iis exerceri se excolique peteret. Vix illa degustaverat, cum tantam affluere divinæ dulcedinis ubertatem sensit, ut illi capiendæ impar esset. Nondum tamen æstus animi plane consederat, nec monstratam Apostolicæ vitæ viam sequi prorsus in animum inducebat, libertatis in perpetuum amittendæ metu; qui nonnullos deterrere solet, ignaros quanta sit, et quam vera libertas servorum Dei. Supervenit Goam Indiarum Apostolus. Ejus adspectu discussa penitus est illa tristitiæ terrorisque caligo, quam Turriani animo dæmon offuderat jam tum, credo, prospiciens quanta sibi pernicies ab eo immineret. Accepit illum Xaverius in Societatem, et ad omnia ministri Evangelici munia probe formatum, proficiscens in Japoniam comitem adscivit. Haud facile quemquam e nostris reperire est cui, secundum Xaverium, Japonia plus debeat. Ac mirari licet, quo pacto potuerit par esse tamdiu tot

laboribus, in tanta vitæ asperitate! Neque carne, neque piscibus vescebatur unquam; oleribus male conditis, aut oriza contentus : semper a vino abstinens, et inter sæva Japonicæ hyemis frigora, nudis fere incedens pedibus. Rogatus ut sibi parceret, respondit: Evangelii præcones nihil in Japonia profecturos, nisi vitam austeriorem ducerent, ac re ipsa talem qualem Bonzii specie tenus ac verbis, profitebantur. Duplici solatio moriens affectus est : primum quidem, Fide per omnem Japoniam felicissime diffusa; deinde adventu quinque Sociorum, ac præsertim P. Francisci Capralis, qui Provinciæ Societatis Japonicæ præfuturus erat.

P. Ignatius Azebedius, et socii, cæsi.

Præses quoque nostrorum futurus navigabat in Brasiliam P. Ignatius Azebedius, cum ab hæretico pirata interceptus periit. Olisippone naves Lusitanorum septem solverant. Ea quæ Azebedium, et Socios quadraginta vehebat, dum ad insulam Palmam, unam e Fortunatis, divertit, ab aliis prægressis disjuncta in classem prædonum incidit: classi præerat Calvinianus, Jacobus Soria, qui Lusitanos numero et viribus inferiores, in deditionem accepit. Milites hæretici, facto in captam navim impetu, postquam homines Societatis, omnibus conviciis et probriis onerarunt, archipiratam interrogant quid illis fieri velit? Mactate, exclamat, mactate istos canes, qui prava doctrina inquinare Brasiliam parant! Hoc edicto accensi et

auctorati satellites impii turbam innocentem invadunt : alios confodiunt, alios in mare dejiciunt, multos impositis punctim cæsimque plagis deformant. Stabat inter hæc Azebedius, dux beatæ turmæ, sacram Deiparæ imaginem attollens, et Socios ad cadendum fortiter pro religione magnis vocibus adhortans; nec segnius feritatem sceleratis exprobrans et ab Ecclesia Romana defectionem. Non tulit veram exprobrationem Calvinista, et gladium nudo capiti ferociter incutiens mortuum humi stravit. Patria illi Portus, civitas Lusitaniæ; ætas annorum trium et quadraginta; nobile genus; virtus nobilior, et per omnes vitæ religiosæ spectata gradus. In Brasiliam Visitator a S. Franc. Borgia missus anno MDLXVI, totam inspexerat, et nova quædam condiderat domicilia Societatis, ac præsertim collegium Fluminis Ja-
* *anno* 1567. nuarii *. Biennio post repetiit Europam, tum ut Præpositum Generalem de statu Provinciæ faceret certiorem, tum ut auxiliares copias compararet. Quibus auctus, et creatus Brasiliæ Provincialis, iterum se commisit mari cum selecta Sociorum sexaginta novem manu, quos in Lusitanos naves distribuit. Pars quæ cum ipso vehebatur, felici morte cursum absolvit, præter unum rei familiaris adjutorem, quem prædones ad ministeria domestica utilem sibi fore putaverunt. Sed ille spem improborum, elapsus in Lusitaniam, fefellit. Pro eo adolescens, Societatis candidatus, obtulit

se neci, et illatam fortiter pertulit. Cæsis Patribus, hæretici reliquos vectores salvos et incolumes esse jusserunt. Ex quo videre licet, id quod archipirata initio denuntiaverat, causam illorum necis, odium catholicæ religionis fuisse.

Funcalense, et Angrense Collegium.

Felicius navigatum est ab iisdem Lusitanis in insulas Tertiam et Maderam, in quibus collegia Societatis Rex Sebastianus fundavit : Angræ quidem, quæ primaria civitas est insulæ Tertiæ. Funcalæ vero, in insula Madera. Angram venere Socii duodecim, mense Maio; Funcalam novem, Martio. Insula Tertia præcipuum inter insulas Azores locum obtinet. Madera inter Azores et Canarias sedet, Canariis tamen vicinior.

Annus Christi 1571 : Societatis 32.

Victoria ad Naupactum, et Patrum opera.

Turcæ, expugnata Cypro, Christianos omnes, contra datam in urbis deditione fidem jugularant; Bragadinum, urbis gubernatorem, quia strenue diuturnam obsidionem toleraverat, naso et auribus truncatum, cute vivum videntemque spoliaverant. Ea crudelitate ac perfidia permotus Pius V Pontifex, et reliqui Principes Christiani arma corripuere. Præter alios e religiosis Ordinibus, destinati sunt ad præclaram expeditionem e Societate complures. Cum Pontificiis militibus, quos ducebat Marcus Antonius Columna, Socii sex profecti sunt; totidem cum Venetis, nec pauciores cum Hispanis. Militibus æque ac nautis opem,

quamcumque religiosus ac sacerdotalis præstare poterat labor, omnes impigre tulerunt, præcipue in morbis, quibus initio conflictatæ sunt classes; et quibus quinque Societatis homines, dum operam indefessam inter sanos ægrosque dividunt, absumpti fuerunt, ante collata cum hoste signa. Nonis Octobribus Christiana classis et Turcica congressæ sunt ad Naupactum, quæ civitas est Ætoliæ, in aditu Sinus Corinthiaci, prope insulas Echinades. Hæc illa est celeberrima post hominum memoriam de crudelissimis religionis hostibus parta victoria, majori ducum an militum virtute nescias? manifesto certe Numinis auxilio: ut vel ex eo maxime intellectum fuit, quod sub initium pugnæ ventus Turcicæ favens classi, repente conversus est, et in eos bombardarum fumum, ac tela Christiana vehementius ac certius intorsit. In ipso pugnæ procinctu Patres toti fuerunt in audiendis confessionibus, confirmandis militibus, et ad pugnam pro religionis gloria fortiter obeundam cohortandis; mox in ipsa pugna, prælato Crucis signo, incitandis; demum, inclinante post horas tres difficillimi prælii ad meliores partes victoria, juvandis morientibus, curandis sauciis institere: ac ne ipsis quidem Turcis vulneratis, aut animam agentibus denegarunt humanitatis obsequia, quorum nonnulli recepto baptismo, salutem in sua clade invenerunt. P. Marius Beringucius, dum in media cruenti certaminis procella stat

interritus; et voce, oculis, manu, animos addit certantibus, honestissimum vulnus accepit, adfuitque morienti Augustino Barbadico, patricio Veneto, qui sinistrum Christiani exercitus ducebat cornu, et primus aciem hostium perruperat. Ex hostium triremibus ducentis, captæ sunt centum triginta; ceteræ illisæ littoribus, demersæ, aut incensæ; paucas servavit fuga. Viginti Christianorum millia in libertatem vindicata. Hostium periere triginta minimum millia; Christianorum millia fere octo. Victoriæ fructus major exstitisset, si fœderati Principes tam scivissent, uti victoria, quam vincere.

Iter init Franc. Borgia jussu Pii V, in Hispaniam.

Pius V tanti operis dux, auctor et sequester, habuerat in animo non tantum vires Turcarum reprimere, sed etiam si fieri posset, penitus opprimere. Itaque quamplurimos eodem fœdere jungere cupiens, duas legationes sub initium meditati belli adornaverat, alteram ad Maximilianum Cæsarem, et ad Regem Poloniæ Sigismundum; alteram ad Hispaniæ, Galliæ et Lusitaniæ Reges. Hanc Michaëli Bonello Cardinali Alexandrino; illam Joanni Francisco Cardinali Commendono mandaverat. Utrique cum selecto Præsulum ac procerum comitatu adjunxerat aliquos e nostra Societate. Commendono P. Franciscum Toletum; Alexandrino S. Franciscum Borgiam, quem præcipua pollere apud Lusitanos Hispanosque Principes auctoritate norat. Cum ille, quo erat obsequendi

studio, paratum se ostendisset ad valetudinis, et capitis etiam, pro tam honesta causa, discrimen quodlibet subeundum, Romani Patres Pontificem enixe rogarunt, ne in difficile ac longum iter conficeret illius fractam senio et laboribus ætatem. Accedebat alia, quæ ipsum in Urbe detineret causa. Romam venerant lecti e singulis Provinciis Procuratores, cum suarum quisque Provinciarum mandatis et negotiis, quæ nec differri, neque absque Præpositi Generalis sententia decidi poterant. Ea Pontifex cum benigne audivisset; e re communi Ecclesiæ esse respondit, ut hoc labore Borgia defungeretur, curaturum se ut quam minimo incommodo iter conficeret. Itaque in viam se dedit pridie Calendas Julias.

Pontificia Diplomata duo.

Paulo ante impetraverat a Summo Pontifice duo diplomata; unum quo Societati potestas fiebat docendi publice in iis etiam urbibus ubi essent academiæ generales, sive universitates studiorum; simulque statuebatur admittendos esse ad litterarios honorum gradus, in quibuslibet academiis, eos qui dedissent operam litteris in scholis Societatis; si modo illis honoribus dignam eruditionem afferrent. Altero diplomate declarabat Pontifex Societatem inter mendicantes Ordines religiosos fuisse numerandam, quamvis collegia et tironum domos certis fundatas vectigalibus haberet. Cum enim omnino constaret Societatis Professos, quæ pars illius prima et præcipua, in Mendicantium

numero censeri, consentaneum videbatur ut collegia, et domus Probationis, quæ unum et eumdem cum Professis Ordinem religiosum corpusque constituunt, et ad Professam Societatem, ut ad caput membra, viæ ad terminum referuntur, eodem atque Professi nomine censerentur ac numero, paribusque beneficiis gauderent.

Madritum ingressus Borgia, perhumaniter exceptus est a Rege; cujus benignitate opportune usus, non solum negotia confecit sibi a Pontifice commissa, verum etiam alia plurima, quæ ad divinam gloriam, animarum salutem, et quietem publicam pertinebant : dissidia gravissima, quibus remedium afferre nulla vis aut industria potuerat, composuit. Societatis domos, quascumque otium erat, lustravit; nec paucas variis in locis inchoavit. In Lusitaniam progressus, nihil prætermisit, quo suam Pontifici et Ecclesiæ probaret diligentiam ac fidem. In Galliam inde procedens litteras accipit longe tristissimas de rebus prope perditis in Florida.

In Florida Socii octo a Barbaris interfecti.

Illuc ubi a barbaris anno MDLXVI cæsus erat P. Martinius, reversi P. Joan. Rogerius et Frater Villaregius, spargere Dei verbum cœperant exiguo proventu. Indigenæ Hispanis infensi, cædibus mutuis odiisque certabant. Ludov. Menendes, regius Prætor illius expeditionis princeps in Europam recurrit, ac pericula dissimulans, spem in immensum augens, Borgiam impulit ut Socios sex in

* *anno* 1568. Floridam submitteret * duce P. Joanne Baptista Segura qui statum regionis miserabilem contemplatus, omnino faciendum existimavit ut in Cuba insula, quæ vix iter unius diei distat a Florida, poneretur statio Societatis unde Sacerdotes et opportuna subsidia tempestive sumerentur. Non persuasit. Quare in Florida consistere coactus, occasionem pestilentiæ ad barbaros vitæ melioris studio inflammandos arripuit, nec paucos salubri tinxit unda, cœloque intulit. Interea audit regionem vicinam, Axacam nomine multo esse paratiorem ad Evangelii satus accipiendos. Nihil cunctatus eo contendit, invitante Neophyto, qui ante annos undecim ab Hispanis vectus in Europam, ibique donatus baptismo, et laute ac liberaliter habitus, redierat in patriam. Læti reperto duce itineris Christiano, et summis beneficiis affecto, pergebant. Sed brevi mutatum, et proditorem senserunt. Unum tamen hunc habebant, quo interprete uterentur, vernaculi sermonis ignari. Orant igitur ut hanc ipsis operam dare ne gravetur. Negat improbus, et fuga se proripit. Rogandum impensius, et munusculis conciliandum Segura existimans, tres e Sociis ad eum allegat, P. Ludovicum Quirosum et duos non Sacerdotes, Gabrielem de Solis, et Joannem Bapt. Mendem. Occurrit proditor cinctus globo barbarorum, et subeunti ad salutandum P. Quiroso pectus sagitta transfigit, duos ejus comites ceteri peremerunt *.

Die 3 Febr.
* *anno* 1571.

Expectabat Segura dum redirent Socii, eosque jam quintum diem morari mirabatur, cum Neophytum proditorem conspicit truci properantem vultu. Nec diu addubitatum est quid pararet, cum religiosis vestibus, quas P. Quiroso detraxerat, per ludibrium indutus apparuit. Segura cum suis procubuit in genua, et omnes impiorum securibus concisi optatam mortem fortiter exceperunt. Remanserant in insula Cuba PP. Rogerius et Sedennius; cumque nulli de Florida nuntii perferrentur, neque ignorarent quid barbarus furor posset, cognoscere per se ipsi quid ageretur decreverunt. Neophyti proditionem, cæsos Patres, sacelli sacram suppellectilem conspurcatam, cognoverunt ex adolescente qui fuerat in Patrum comitatu. Neque inultam crudelitatem impii tulere. Comprehensi plerique ab Hispanis, pœnas dederunt : antea tamen baptismum, singulari Dei beneficio, et eorum scilicet precibus, quos crudeliter interfecerant, consecuti. Proditor, cum reliquis percussoribus, in sylvas evasit.

Brasiliam petentes intercepti aut cæsi.

Non minorem S. Francisco Borgiæ luctum, etsi magna consolatione temperatum, attulit nova clades Lusitanæ classis, in Brasiliam destinatæ. Hæc procelloso jactata diu mari primum ad insulam Cubam, tum ad Açores abrepta, inde cursum in Brasiliam hoc anno instaurabat : cum navis prætoria in quinque navigia prædonum hereticorum incurrit. In hac erant Socii quatuordecim.

Post diuturnum cruentumque certamen venit in potestatem hostium; a quibus nostri partim vulneribus confecti, partim in mare dejecti sunt, duo dumtaxat ad vicinas piscatorum scaphas natando erepserunt : reliqui duodecim periere. Fracta tot exitiis constantia Sociorum non est. Alii tredecim in eadem pericula se conjecerunt alacres anno sequente, ac secundis usi ventis Brasiliam tenuere. Sed alii duo post biennium eamdem petentes Brasiliam, medio in cursu ab hæreticis intercepti, spoliati, contumeliis et verberibus affecti, postremo donati vita Olisipponem rediere.

Collegia Cuschense et Pacense, in Perua.

In altera, sive occidua parte ejusdem Australis Americæ nihil hoc anno non lætum et fortunatum. P. Hieronymus Portillus cum Prorege Peruæ, ac Sociorum lecto numero Cuschum venit. Erat ea civitas Ingarum olim regia : sic priscos Peruæ Reges vocabant. Huc Patres delati statim collegium et ludum litterarium aperuerunt. Non ita multo post Joannes Ribius, nobilis et opulentus Hispanus, Socios e Limano collegio perduxit in urbem Pacis. Distat hæc a Lima ducentis amplius leucis, pari ferme intervallo a Cuscho et Petosio. Regionem Ribius curabat Regis nomine, quam ut ornaret juvaretque, exoptavit collegium, seque fundatorem obtulit. Dati sunt aliquot Socii qui stationem inchoarent tantisper, dum admoneretur Præpositus Generalis, quo annuente collegium suis numeris absolutum est.

In India tres potentissimi Reges, Idalcan, Zamorinus, et Zamalucus, ad Lusitanum Christianumque nomen delendum conjurarunt. Idalcan, cujus regnum Goæ finitimum, eam obsidendam sumpsit; alii duo alias Lusitanorum arces evertendas. Obsidio Goæ nisi decimo tandem mense soluta non est. Alii duo Reges cum suis copiis, pulsi undique et fugati. Pars magna periculorum Socii fuere : quippe causa religionis agebatur; sex confecti ærumnis, unus etiam hostili ferro. Pericula in Indiis, et

Non minore in religionem odio, Bonzii conspirarunt adversus Patres Japonios, quos tam splendide revocatos Meacum videbant. Dux erat conspirationis Bonzius præpotens, qui disputando victus olim a Patribus, nefandam illis calumniam impegit. Calumnia detecta est, accusator male mulctatus. At sycophanta ignominiæ impatiens, potentes amicos ad arma vocat; quod in Japonia Bonziis familiare: tanta est illorum audacia, tantæ opes, tantus numerus! Ad hæc Imperatore nuper cæso, multi rebus novis studebant, ut fere fit quoties regni status commutatur. Momento steterunt instructæ acies. Hinc Nobunanga et Vatadonus; illinc perduelles a Bonziis stimulati; sed fusi statim ac dissipati. Paucos fuga servavit, qui per tenebras evasere in montem Frenoxamam cœnobiis plurimis Bonziorum inclytum. Vatadonus plagis in prælio acceptis debilitatus, domum se recepit, ac paulo post periit, ante quam sacro in Japonia.

baptismate initiaretur, quod in diem, licet sæpe a Patribus admonitus, reservabat. Nobunanga periculi et victoriæ socius, iniquissime tulit receptos a Bonziis Frenoxamanis perduelles, et apertum illis effugium. Est Frenoxama sive Fiyenoyama, Japoniæ mons celeberrimus, ad decimum a Meaco lapidem. Tres leucas patet in longitudinem, et in valles tredecim amœnissimas scinditur. Totum ambit lacus, triginta leucas longus, tres latus, pisce multo et exquisito dives. In his vallibus, si qua fides Japonicis annalibus, erant olim tria millia et octingenta profanorum Deorum fana, totidemque fere monasteria, in quibus Bonzios omnium sectarum loci amœnitas et religiosa superstitio collegerat. Ut autem omni alia soluti cura pietati vacarent impensius, iis ducenta nummorum aureorum millia in singulos annos Imperatores olim assignaverant, cum duobus oppidis ad imum positis montem; dederantque negotium oppidanis, ut obsonia et quidquid vitæ usus postulat, affatim et prolixe Bonziis subministrarent. Itaque Frenoxama, velut arx et domicilium Bonziorum habebatur. Sane plurima ex illis monasteriis fuerant excisa, bellis civilibus : adhuc tamen stabant quingenta, cum Societas Jesu in Japoniam primum venit. Nobunanga Frenoxamam undique, tamquam obsidione, cinxit. Incassum donis et grandi pecunia demulcere conati, religionem objiciunt, ac Deos montis præsides. Quibus

Bonziorum præcipua vastatur sedes, Frenoxama.

Nobunanga. « Dii vos tuebuntur, inquit, si amici Deorum estis : sin minus, Deorum ego inimicos perdam. » Hæc locutus, oppida duo flammis delet, producit milites in montem incendio fumantem, cœnobia cum delubris diruit; Bonzios contrucidat. Multi e saxis dedere se præcipites, aliqui antra subiere, ac ferarum instar e suis extracti latebris, pœnas Christianæ Religionis, crudeliter tot annos vexatæ ultori Deo persolverunt. Incidit ea strages in lucem Divo Michaëli sacram. Tot hostibus liberata religio et favore Nobunangæ pollens, majorem in modum effloruit.

Non armis tantum florebat in Europa Religio a crudeli Ottomanorum servitute magnam partem, et metu soluta : vigebat etiam eruditis theologorum lucubrationibus; quos inter merito censeri potest ea, quam Petrus Canisius jussu Summi Pontificis suscepit, hac data occasione : conscripti fuerant circa annum MDLX a Magdeburgensibus Lutheri ministris, quorum princeps Mathias Flaccus Illyricus, Ecclesiastici annales, in centurias annorum distributi; Centuriæ Magdeburgenses idcirco nuncupati. Erant multorum in manibus propter satyricum salem, quo rancida mendacia condiebantur. Huic veneno, ad historiæ corruptelam et perniciem animarum grassanti, antidotum quærens Pius V provinciam Canisio dedit ut pestilentes centurias refutaret. Primam refutationis partem emisit hoc anno, quam ubi primum

Centuriæ Magdeburgenses a Canisio refutatæ

vidit Pontifex, multis ornavit laudibus auctoremque fausta prece ac depromptis ex Ecclesiæ thesauro sacris opibus, beavit. Doctissimus vero et prudentissimus Cardinalis, Annalium Ecclesiasticorum scriptor Baronius, celebrat in hac lucubratione « *vigilans studium Canisii; eruditissimi,* inquit, *ac maxime pii viri* », in eoque nihil deesse affirmat ad Novatores imperitiæ, dementiæ, et perfidiæ redarguendos. Altera pars edita anno MDLXXVII, de qua Baronius idem singulari cum laude meminit. « *His lector, fruere* (inquit ad annum Christi IX) *quæ venerandus P. Petrus Canisius, cujus est laus in Evangelio per omnes Ecclesias, non minus pie, quam ornate atque erudite suo more conscripsit.* » Canisius tertiam inchoaverat partem; hujus absolvendæ spatium numquam fuit. Tot negotia, tot itinera, tam diversæ occupationes a Summis Pontificibus, a Principibus viris, a Præpositis Generalibus Societatis, in hunc hominem unum congerebantur; vix ut respirandi potestas, nedum scribendi otium esset. Gregorius XIII cum ad Salisburgensem Episcopum, ad Bavariæ ducem, aliosque Principes Germaniæ illum mitteret, *volo,* inquiebat, *desiderii mei Germaniam sublevandi adjutorem te esse, cum sciam quantum ad eam rem industria tua et sapientia valeat.*

Complures alii tunc editi sunt a Theologis Societatis libri, perutiles ad illustrandam Fidem

Catholicam, quos videre licet in Bibliotheca scriptorum Societatis. Simul etiam fuerunt ædificata collegia (officinæ videlicet ubi hæc arma, religioni defendendæ necessaria, procuduntur) Hallæ, ac Fuldæ in Germania; Calatajeronæ in Sicilia; et Camberii in Sabaudia.

Magdalena et Helena, Cæsaris filiæ cum Hallam Sueviæ urbem, proficiscerentur, sub finem anni MDLXIX magnopere optarunt, ut Societatem quam morum et eximiæ pietatis hactenus magistram habuerant, secum Hallam inducerent. Concessi sunt petentibus aliquot Socii, quibus illæ domum ac templum postea donarunt. Hic ortus Hallensis Collegii fuit. Fuldense paulo tardius, et hoc tantum anno prodiit. Fulda, oppidum amplum ad fluvium cognominem, inter Moguntiam et Erfordiam pari ferme intervallo situm, olim natum est e cœnobio Monacorum S. Benedicti, quorum ditio et auctoritas ita creverat, ut Abbas inter Imperii Principes numeraretur. Illapsa, vitio temporum, in urbem hæresis e Thuringia, Hassia, Saxonia, quæ Fuldam circumsistunt, ut infelix lolium quam celerrime succreverat: cui demetendo Societatem arcessivit Abbas prudentissimus, Balthasar Dernbachius. Apud ipsum aliquot Socii, velut in statione, manserunt, donec de collegio transigeretur, quod biennio post absolutum denique ac stabilitum est; non sine gravi cum vicinis Principibus hæreseos patronis dimicatione, et

Collegium Hallæ, et Fuldæ.

maximis Sociorum periculis. Rebus ad pacem postea et concordiam adductis, constitutum est in eadem urbe, a Gregorio XIII Seminarium Germanicæ nobilitati. P. Petrus Loppertius, Romam profectus anno MDLXXXIV, ut molestas Abbatis Fuldensis lites cum dynastis aliquot catholicis componeret, Pontifici mentem hanc injecerat, affirmans rem Germanis utilissimam et acceptissimam fore, qui suos liberos eo libentius, quo propius, illuc mitterent. Neque Pontifex, pro solita in Germanos benignitate, utile consilium exequi distulit. Metuebatur ne parum grata hæreticis Pontificia liberalitas accideret. Contra evenit. Missi certatim a parentibus liberi Seminarium lectissima juventute impleverunt.

Badenses, Ecclesiæ restituti.

Cum Marchiæ Badensis Princeps diem obiisset anno MDLXIX, Cæsar ejus filios in tutelam Alberto Duci Bavariæ tradidit. Lutheri doctrina in regione dominabatur. Albertus existimans oblatam occasionem hæreseos injusto dominatu spoliandæ, egit cum P. Georgio Schoritio, cujus industria et labore eo deducta res est, adnitente Comite Schwarzembergio, Marchionatus præside; ut brevi conficienda videretur, nisi nonnulli, amantiores novæ quam veteris et sanæ doctrinæ, litteras extorsissent a Cæsare, per quas vetabat ne quid adversus Lutherani verbi ministros tentaretur. His litteris allatum negotio nonnihil moræ. At Cæsar, certior per P. Schoritium factus quanti

momenti res ageretur, liberam ipsi potestatem fecit statuendi quidquid ad religionis ornamentum et securitatem pertinere judicaret. Igitur amoti doctores erroris; doctrina salutaris populo proposita, restituta pietas, jacta collegii semina.

Collegium Calatajeronæ

Jacta quoque Calatajeronæ, quæ Siciliæ civitas est opulenta, in Syracusana diœcesi. Patres a civibus evocati et Marchione Piscariæ, qui pro Rege Siciliam gubernabat; bonarum artium studium, ineunte Augusto, feliciter aperuerunt. Conditum jam quidem erat Camberiense gymnasium, sed abditum veluti delitescebat a septem annis in angulo cœnobii Franciscanorum, non sine gravi suo et carissimorum hospitum incommodo. Eduxit illud ex his tenebris et angustiis Edmundus Augerius; locutusque cum senatu et civibus primariis, perfecit, ut proprio domicilio, censuque idoneo frueretur; adeo ut quod veluti sepultum prius jacebat, in lucem denuo excitatum videretur.

Camberii,

Viroduni.

Ad hunc modum Virodunense, pridem fundatum anno MDLXIX, opera Nicolai Psalmæi, Episcopi et Comitis Virodunensis, cum fuisset grassante pestilentia derelictum; instauratum est atque uberiores fructus edidit, ut ager interposita quiete recreatus.

Fructus quoque non contemnendi variis in locis et expeditionibus quasi temporariis collecti fuere, in Burgundia, in Delphinatu, in Aquitania. Vesontione quidem, quæ civitas est primaria

Burgundiæ superioris, quem liberum Comitatum vulgo vocant, cum Archiepiscopus coacta provinciæ Synodo, Tridentinum Concilium promulgari cuperet, eoque circiter mille ac trecenti Sacerdotes, præter Episcopos, Abbates, ac Theologos convenissent; P. Antonius Possevinus in hoc splendidissimo consessu, diebus septem binas quotidie orationes habuit : ac mane quidem Decreta sacri Concilii, quæ ad Catholicum dogma pertinent; audiente etiam populo, exponebat; horis vero pomeridianis, ea quæ ad reformationem, ut loquuntur, spectant, sed coram Sacerdotibus tantum explicavit. Multi Sacerdotum confessione generali conscientiam expiabant. Postremo ludimagistros Catechismum Canisii exponere docuit et magnam distribuit piorum librorum copiam. In Delphinatu Episcopus Valentiæ, novitatis illecebra deceptus, lupos ovium pelle tectos ad lacerandum gregem admiserat. P. Grangeanus Fidei ac pietatis igniculos in eo nondum extinctos suscitavit. Præsul veniam a populo publice petiit et mutatis moribus, qui radice Fidei semel vitiata facile depravantur, ducem se omnibus ad pie vivendum, ac recte sentiendum præbuit. In Aquitania, ut hæresis diutius quasi regnaverat, sic ad eam exturbandam opus majori contentione fuit. Agro Santonensi multæ minores objacent insulæ: earum una proprio nomine Latronum insula dicitur, quia piratarum olim receptaculum erat; et

Possevinus Vesontione, in Synodo;

Valentiæ, Grangeanus. etc.

erat sane vitiorum receptaculum. Quinque in oppidis, ac pagis fere triginta, vix ullum priscæ religionis vestigium exstabat. Depulsa inscitia, facile correcti fuere mores, et religionis labes reparata.

Annus Christi 1572 : Societatis 33.

Collegium Burdigalense,

Burdigala, Metropolis Aquitaniæ, ut avitæ pietatis tenax, ita illam tueri sartam tectamque impense studens, Societati Collegium pridem obtulerat. Verum ob temporum difficultatem, et alias quasdam causas, nondum fuerat acceptum. Hoc demum anno Senator Burdigalensis, Franciscus Baulonus, fundandum ære suo collegium suscepit. Rex pium optimi viri consilium collaudans, ædes Societati, cum sacello, attribuit. Obstitit præclaris initiis hæretica factio, quæ jam cives plurimos in fraudem pellexerat. Effecit Augerius apud Regem, ut ne conditionibus quibusdam durioribus nascentis familiæ libertas præpediretur; quibus quasi vinculis liberata Sociorum vox et industria, quadringentos primum patres familias cum ipsorum liberis ac domesticis; mox unius mensis spatio mille ac ducentos e populo in libertatem catholicæ veritatis ex errorum servitute asseruit. Exorta sunt difficillima subinde tempora, cum duas in partes ipsi Catholici distracti *, alii Regem Henricum III tuerentur; alii eumdem, ut Catholicis minus deditum, abhorrerent. A Regiis partibus Burdigala stabat. Societas, pro sua Instituto, a publicis

* *anno* 1569.

negotiis abstinens, et Præpositi Generalis peculiari mandato cavere sermones jussa, quibus alterutra pars offendi jure posset, instabat precationi, et populum ad Fidei Catholicæ constantiam hortari satis sibi putabat esse. Hanc moderationem, adversarii Societatis perduellionem interpretati, litteras impetrant a Rege, quibus urbe facessere Socii jubebantur. Exilium eis quarto Cal. sextiles irrogatum. Bellis civilibus Henrici IV fortitudine ac prudentia restinctis, Burdigalam revocata Societas est, insigni omnium ordinum lætitia, quæ præ-
* *anno* 1596. teriti temporis memoriam ac mœrorem abstersit *.

Nivernense; etc.

Multo ante hanc perturbatissimi temporis caliginem, Nivernensibus Collegium datum est, hoc anno MDLXXII a Ludovico Gonzaga, Duce Nivernensi, cujus benevolentia in Societatem, pietas, prudentia, ceteræque virtutes, generis nobilitati respondebant. Scholæ ineunte Novembri mense apertæ sunt. Villagarziæ Domum probationis, unaque Collegium excitavit Magdalena Ulloa, notæ in Societatem liberalitatis.

Obitus S. Francisci Borgiæ.

S. Franciscus Borgia, exeunte Septembri Romam est reversus e Gallia, quo se contulerat jubente Summo Pontifice Pio V, non solum ut opem contra feroces Ottomanos a Rege Christianismo postularet; sed etiam ut Carolum IX et ejus matrem Catharinam prudentibus muniret consiliis adversus Calvinistarum vim et fraudes, qui fabricatum a se impietatis idolum in ruinis

et busto patriæ collocare juraverant. Aspexerat vir sanctus non sine gravissimo dolore tristes hæretici furoris notas, et impressa ferro flammisque vestigia. Eunti Blesas, qua in urbe tunc degebat aula, Rex processit obviam, et cum illo privatim ac familiariter de religionis negotio disseruit. Fatebatur prudentissimas ab homine rerum gerendarum scientissimo proponi vias hæreseos comprimendæ, sed iis uti aut serum, aut intutum esse sentiebat. Discessit mœstus Borgia, et imminentes regno florentissimo calamitates, vates heu nimium verus animo prospexit! Ecce autem in itinere sacram ædem, ut rem divinam faceret, ingreditur. Restabant nudi parietes; cetera hæresis cum ipso tecto prostraverat. Oculos tamen circumferens videt relictam aræ partem, adhuc idoneam sacrificio. Subiit desiderium sarciendi cladem sacris altaribus illatam in eo ipso loco. Sæviebat hibernum frigus, ineunte Februario, nihil erat ventis et frigido clausum aëri. Vix sacrificaverat, cum febri corripitur, eaque sic repente est debilitatus, ut pedibus deinde numquam insistere potuerit. Quamobrem delatus in Sabaudiam, inde Lauretum, postremo Romam, ibi altero quam venerat die inter suorum pios fletus pridie Cal. Octobris ante mediam noctem, evolavit in cœlum, annos emensus duos et sexaginta.

Duplici nomine gratias Deo peculiares Borgia moriens egit, primo quod supremum spiritum in

Ecclesiæ obsequio profunderet, dum impositas sibi a Sanctissimo Pontifice ad publicam Religionis causam partes implere studet : deinde, quod ereptus objecto tam sæpe honorum periculo, ætatem in Evangelica humilitate ac paupertate clauderet : nam inter præcipuos Sacri Collegii Patres convenerat, ut illum Pio V subrogarent; idque Cardinalis Paleottus Borgiæ fratri, tunc in Urbe degenti, significaverat, enixe rogans ut ipsum accelerare cogeret, quo præsentis conspectus majorem negotii conficiendi facultatem daret. Sed aliam in cœlis coronam Deus viro sancto paraverat. Paulo antequam animam ageret, rogantibus num quid vellet? Jesum, Jesum, inquit, *volo!* Mox accedentem propius ad lectum Thomam Borgiam, germanum suum, flere vetuit, negavitque mortem suam lacrymis prosequendam; agendas potius Divinæ bonitati gratias, quæ pristina in se beneficia omnium maximo cumularet. Addidit pauca quæ Thomam ipsum spectabant; illud in primis, ut se fidelem Dei et Ecclesiæ ministrum præstaret in Cæsaraugustano, quem ipsi Deus destinabat, Archiepiscopatu : Quam prædictionem comprobavit eventus.

Patres qui frequentes aderant, etsi de jactura carissimi parentis mœrentes, nihilominus de viri sancti beata morte læti, statim atque vivere desiit, in genua procumbentes, ut cœlo donatum, venerati sunt. Ad exequias Roma concurrit. Sacrum

ejus corpus mansit in templo Societatis usque ad annum MDCXVII quo in Hispaniam, concessione Summi Pontificis et Philippi II rogatu delatum est, et in æde sacra Professorum, Madriti collocatum : quæ primaria Hispaniarum civitas, ut S. Isidoro patrono gaudet, sic Franciscum Borgiam protectorem adoptavit. Beatus ab Urbano VIII fuit appellatus anno MDCXXIV, die XXIV Novembris, et a Clemente X in Sanctorum numerum relatus die XII Aprilis MDCLXX.

Id illi videtur contigisse, quod paucis vel fortuna vel virtus dedit, ut sine exceptione laudetur. Quamcumque vitæ ipsius partem spectes, in aula, in administratione ingentis provinciæ, in religioso instituto, in supremo Societatis magistratu, ubique sanctus est. Tamen ut in improbis certum vulgo vitium cæteris dominatur, puta, ambitio, avaritia, ira; sic in sanctis una quædam videtur eminere virtus, moderatrix ac domina cæterarum; estque ipsorum veluti character et propria dos. Hanc in S. Francisco Borgia fuisse merito dixerimus Evangelicam abnegationem, et pium sui odium. Hinc amor ille paupertatis, cujus incommoda omnia diligenter ac pene anxie consectabatur. Hinc divexandi corporis studium, cui tamquam hosti capitali bellum inexpiabile denuntiaverat; diem illum se perdidisse dictitans, qui sine quodam peculiari suo cruciatu fluxisset. Arculam quamdam circumferre solitus erat, ante- Virtutes ejus.

quam religiosam esset vitam amplexus, ciliciis, flagellis, aliisque id genus pœnitentiæ armis, et quidem oppido cruentis refertum. Æstum, nives, hiberna frigora, febres acutas, articulorum et stomachi sævos dolores, quibus sæpissime torquebatur, in summis Dei beneficiis numerabat. A P. Bustamantio rogatus ut impetraret ipsi a Deo quod sibi maxime concessum cuperet, promisit : Bustamantium continuo invasit cum æstuosa febri, tam acer capitis dolor, ut propemodum exiret e potestate. Oravit Borgiam ut preces converteret; quarum ope levatus, audaciam increpuit suam, qui gigantis onera pygmæus concupivisset. Sed quæ cæteris etiam fortissimis intolerabilia, hæc Francisco facilia et usitata. Nostris ad laborem et operosa munia cohortandis, non gloriæ vel commodi spem, sed difficultatem et meram crucem ostentabat; in ea robur, gaudium et omnia reperiri affirmans.

Corpus tamen domare multorum est; animum vincere, cupiditates frangere, paucorum. Inimicos Societatis, eorum calumnias et obtrectationes, incredibili tolerabat patientia, mansuetudine atque humilitate; idque nobis magnopere commendatum volebat : hæc tela numquam certius et gloriosius retundi asseverans, quam silentio, et vera constantique virtute. Amori erga propinquos et amicos modum ponere videbitur quibusdam difficilius, quam odium erga inimicos

compescere. Diligere inimicum, vindicta et gloria cœlestis est: amicum, affinem, non valde amare, aut etiam Evangelico ritu odisse, prope censetur inhumanum: In eo genere vix parem Franciscus noster habuit; ita suorum videbatur oblitus. Exemplis parco, quæ multa et nota. Carolus certe Quintus, et Pius IV nihil in eo æque mirari se fatebantur.

Cæteris cupiditatibus aut extinctis aut sedatis, adhuc vivit vigetque ut plurimum honoris innata vel optimo cuique sitis. In ea penitus extinguenda totus erat imitator Christi verus. Duas quotidie horas in se inspiciendo contemnendoque collocabat. Sui despicientiam ex re qualibet aucupabatur. Nullum ambiebat nomen cupidius, quam peccatoris, in quo scilicet summa miseria cum summa ignominia conjungitur. Nulla re magis urebatur, quam suis laudibus, et honoris qualicumque significatione; nulla gaudebat magis quam sui contemptu et novissimo loco, quem nescio quo pacto semper occupabat. Quanto autem de se demissius, tanto de aliis honestius et loquebatur et sentiebat. Itaque summa in accipiendis audiendisque vel infimis hominibus facilitas, obvia comitas in sermone, modestia in imperando, et benignitas; quippe qui se omnium minimum ac miserrimum judicaret, eamque Bernardi vocem haberet penitus in animum defixam: *Christiane imperantem oportet humiliter imperare.*

Humilitatis germana proles obedientia est. Illam firmissimæ navi persimilem Borgia dicebat, in qua Religiosus vir inter humanæ vitæ procellas perpetuo cursu, ac ne per somnum quidem interrupto, ad æternitatis portum placide subvehitur. Ejusmodi virtutum præsidio, veluti superis et cœlo propius admotus, Borgia facillime ad sacros numinis amplexus evolabat. Quinas, sæpe plures continenter quotidie cum Deo ducebat horas. Præibat oratio negotiis omnibus, claudebat omnia. Certum præterea Dei beneficium singulis horis, itemque mysterium vitæ Christi assignaverat, quod grata memorique mente recoleret. Divinum amorem, quo fomite oratio pascitur, alebat, tum assidua præsentis Dei recordatione, tum pervigili noxarum vel levissimarum fuga, tum denique singulari erga sanctissimam Eucharistiam pietate. Ubicumque degeret nostris in domibus, secretam sibi curabat cellulam ad aræ majoris latus, ubi divina servabatur hostia. In hunc veluti portum septies minimum quotidie a negotiorum æstu se recipiebat, ac Numinis colloquio suavissime fruebatur. Peregre vero cum erat, non cunctabatur declinare longius ab itinere, vel in tugurio pernoctare, ut esset postridie sacrificandi copia. Jam quanta cum præparatione accederet ad sacrificium offerendum, quo perfusus metu, quam cœlesti gaudio delibutus ad aram consisteret, verbis consequi nemo potest. Inter

hæc pietatis officia nequaquam Societatis curam negligebat, et hoc ipso quo decessit anno non solum tria suscepit Collegia: Navalcarnerense, Legionense, Villagarziense, cum domo Probationis; sed etiam Socios in amplissimum Mexici regnum feliciter introduxit.

Mexicana Provincia.

Hoc regnum ad occidentem et septentrionem Floridæ late patet; Peruam ad Austrum spectat, ab occasu Oceanum et Californiam, ab ortu novam Franciam; solum fertile, salubre cœlum. Eo penetrarunt arma Hispanorum circa annum MDXX. Religionem indigenæ ipsimet arcessiverunt. In illos tyrannidem durissimam exercebant hostes humani generis, eo magis impune, quod neque propulsari, ac ne videri quidem sæpe possent. Postquam auditum est in America nomen Christi, ejusque divina virtus adversus Principes tenebrarum cognita; incessit cupido Mexicanos remedii tam præsentis contra vim infernam adhibendi et Rex in eo tractu præpotens, Mechoacanus, ultro se ac sua primus permisit Hispanis, ea lege ut Christianus fieret. Accepit libens præclaram conditionem Marchio a Valle, Hispanorum ductor, ac Regem populumque curavit erudiendos. Eamdem in curam diligenter incubuit Vascus Quiroga, Episcopus; qui cum confirmatam a Sede apostolica Societatem audivisset, institit ut aliquot e nostris ad se mitterentur. Id vero perfici non potuit ante hunc annum, quo Socii quindecim vela fecerunt

ex Europa Idibus Junii, et Mexicum quam novam quoque vocant Hispaniam, ingressi sunt ineunte Septembri. Mexicana civitas, regni caput, religiosam catervam excepit summa cum voluptate. Amplas ædes et opportunas collegio Alphonsus Villasecca, simul cum pecunia ad id quod necesse foret ædificandum, liberaliter dedit : adeo læta civitate, ut ob id muneris multum ei gratiarum publice actum sit. Nec moræ quidquam fuit, quin Societas sua statim ministeria exerceret.

Collegium Mexicanum.

Dum ingens religioni accrescit regnum in America; eidem duo accesserunt in Japonia, licet longe minora, Tambæ et Ingæ regna. In Tambam missus Laurentius noster, Japonius; adjutorem egregium habuit Joannem Naitodonum, virum Principem eximie Christianum. Ingam neophyti diligentes Patribus venturis præparaverant, construxerant ædes sacras, desiderio cœlestis doctrinæ populum succenderant. In Regis vero Bartholomæi terris florebat pietas, jacebat superstitio, nullus procerum patrios errores retinebat. Amacusana quoque Ecclesia, Patris Almeidæ studio et Michaëlis Amacusadoni ope, magnis incrementis adolescebat.

In Japonia, duo regna Christo acquisita.

In Japonia religio de superstitione; in Gallia de hæresi triumphabat. Hoc anno, post deprehensas in Regem insidias, in memorabili illa Hugonottorum cæde, S. Bartholomæi die, Gaspar Colinius, maris præfectus principesque perduel-

lium periere. Dein magnam bonis omnibus spem ac lætitiam attulit Henrici Navarræ Regis, post promulgata ejus cum Caroli sorore sponsalia, ad catholicas partes propensio. Illi edocendo sæpe adhibitus est P. Joannes Maldonatus : itemque uxori ducis Bullonii, reditum ad Ecclesiam meditanti. Hanc et privatim edocuit, et in cœtu ministrorum erroris, quibuscum totos decem dies disputavit, eos acriter confutavit et omnes ad resipiscendum commovit. Cumque octavum jam annum Sedani, quam urbem in Ducis ditione positam hæresis fere totam oppresserat, nulla fuisset audita vox catholici concionatoris, Maldonatus et palam verba fecit, et aliis ut in posterum ea potestas fieret ab Duce impetravit. Eamdem operam dedit viduæ Condæi Principis, quam Cardinalis Borbonii jussu conveniens ita illustravit, ut hæreseos tenebras clare perspiceret. Socii Parisienses Lutetiam, ac vicina loca inter se partiti, salutarem doctrinam late sparserunt, cumque ex legato quodam orta lis adversus Societatem fuisset, hanc secundum Patres Curia decidit, ac per eam occasionem novo decreto Societatem in regno confirmavit, eique jus legata capiendi asseruit.

Victoriæ de hæresi in Galliis, etc.

S. Francisci Borgiæ prudentia, probitas, et præclara hominum de illius virtute opinio, complures egregios in Societate viros procreavit, et aluit. Talis erat Adalbertus Bausechus, quem P. Laurentius Magius, hominum æstimator sane

Insignes PP. qui sub S. Fr. Borgia vixerunt

idoneus, vas omnium bonorum appellabat; talis Alphonsus Fernandius, Alvarus Mendius, Ignatius Azebedius, Andreas Pais, Antonius Correa, Antonius Suarius, Dominicus Fernandius, Emmanuel Alvarius, Emmanuel Rodericius, Franciscus Castrius, et alii complures gloriosa morte ab hæreticis donati. Talis Antonius Boschus, prophetico spiritu insignis; Antonius Corduba, Seraphim a P. Bustamantio vocatus; Antonius Quadrius, cui laus ea tribuebatur, ut christiana prudentia nullus putaretur superior illo esse; Balthazar Diazius, et Joannes Baptista Sancius, ambo dicendi laude celebres. Neque illis inferior ea dote Carolus Regius, in quo videbantur collectæ virtutes omnes præconis Evangelici. Christianus Halverius, religionis propugnator et propagator eximius. Cosmas Turrianus Ecclesiæ Japonicæ post Xaverium fundator merito dictus. Edmundus Augerius, Catholicæ Fidei in Gallia columen. Franciscus Toletus, cui excellens eruditio cum pari virtute juncta, viam deinde ad sacram purpuram stravit. Gaspar Villela cujus obitus tantum attulit Neophytis Japonensibus dolorem, quantam utilitatem iisdem ejus indefessi labores attulerant. Georgius Schererus, scriptis, concionibus, sapientia modestiaque clarus. Henricus Dionysius, religionis in Belgio strenuus defensor. Hieronymus Natalis, instituti Nostri scientissimus juxta et servantissimus. Hieronymus Portillus, et Hieronymus

Rubiola, hic domesticis virtutibus, ille quasi publicis et ad Peruæ totius salutem divinitus concessis memorandus. Jacobus a Costa, Jacobus Carvallius, aliique plurimi in obsequio pestilentium mortui. Jacobus Lopius Canariensium in religione Doctor. Joannes Maldonatus, egregiis commentariis, nec minore studio propagandæ religionis, inclytus. Joannes Victoria in classe Christianorum contra Turcas, et in ipso victoriæ sinu mortuus. Joannes Baptista Segura cum sociis cæsus a barbaris, hostibus religionis, in Florida. Laurentius Magius, in Germania, Polonia, Gallia, Imperatoribus et Regibus propter prudentiam et probitatem carus. Ludovicus Almeida, et Ludovicus Froëz, uterque in Japonicis ærumnis diu sancteque versatus. Martinus Gomius, qui Societatem ingressus tamquam sanctitatis, ut aiebat, palæstram, in ea partes palæstritæ perfecti, et numeros omnes implevit. Michaël Turrianus, quem S. Ignatius pupillam oculi sui vocitabat. Nicolaus Gaudanus, in Scotiam Nuntius Apostolicus missus. Petrus Martinius, dignus beata morte ipsi a Floridæ barbaris illata. Petrus Perpinianus eloquentiæ et virtutis antiquæ specimen. Petrus Saavedra, cujus sanctimoniam ostendisse videtur integrum corpus decem post obitum annis repertum. Petrus Valvius populi testimonio et lacrymis, cum obiret, ornatus. Rodulphus Aquaviva, martyrem Societati post aliquot annos datu-

rus. B. Stanislaus Kostka, de quo in Sanctorum album referendo exstat decretum Sedis Apostolicæ, a Clemente XI editum anno MDCCXIV. Stanislaus Varsevitius, magnum Poloniæ suæ decus. Thomas Zdelaritius, qui omnium virtutum et munerum homo dicebatur.

NOTA. *In hoc anno* 1572 *desinit Pars* 3.ª HISTORIÆ SOCIETATIS JESU; *latine conscripta a* P. FRANCISCO SACCHINO.

Annus Christi 1573 : Societatis 34.

R. P. EVERARDUS MERCURIANUS,

PRÆPOSITUS GENERALIS SOCIETATIS IV.

Tertia Congregatio Generalis.

Sub initium anni Patres ex omnibus Provinciis delati, Romam confluxerunt ad Societatis Rectorem in locum S. Francisci Borgiæ subrogandum. Indixerat Congregationem generalem P. Polancus, Vicarius Generalis Societatis, habendam tertio Idus Apriles. Defuit Aquitaniæ Provincialis Edmundus Augerius a Rege Galliæ Carolo IX retentus in castris ad Rupellam; dein etiam morbo. Defuit etiam Ægidius Consalvius, Castellanæ provinciæ præses, cum Sociis Martino Gutterio, et Joanne Suario. Dum enim per Galliam iter faciunt, intercepti ab Hæreticis, et Cardalliacum (id castello nomen distanti Ruthenis iter diei) abducti fuere, spoliati, vulnerati, ærumnis variis macerati, quibus confectus P. Martinus Gutterrius, Hispanus, nono Calendas Martias occubuit, anno ætatis XLVII. Inter eximias præstantis viri dotes elucebat singularis erga Deiparam pietas sub cujus expanso pallio protectam Societatem aliquando vidit, peculiaris patrocinii documentum. Narrant eumdem a S. Theresia conspectum inter Cœlites martyrii laurea insignem *. Ejus

P. Gutterrii mors.

* *Hist. Soc. P. V. lib. 24. §. 22.*

ossa in Hispaniam anno MDCIII reportata et Vallisoleti condita sunt. * Socii tres cum eo capti, et persoluto capitis pretio dimissi, Lugdunum, inde Romam, sed sero, pervenere. Quippe jam electus fuerat Everardus Mercurianus, Belga, Societatis Præpositus Generalis IV, nono Cal. Majas.

* *Ibid. lib. 17 num. 13.*

Hunc nominatim, tamquam idoneum qui eligeretur appellaverat Gregorius XIII, Pii V successor; ac Patribus significaverat placere sibi, quandoquidem tres Hispani, ad eam diem Præpositi gubernandæ Societati fuissent, ut proxime creandus ex alia quopiam natione sumeretur. Polancus Vicarius Generalis Societatis vehementer apud Sanctissimum Dominum institit, ut liberum Congregationi jus esse vellet eligendi quicumque optimus videretur. In hæc verba jurare Patres. Nihil esse periculi ne quid contra jurisjurandi religionem facerent. Ita Pontifex annuit, ut si cui Hispano, munus summum imponeretur, non ante rata esset electio, quam de illa cognovisset. Hoc eo dicebat, quod abesse penitus a Societate vellet nationum studia, et quasi factiones, qua peste nulla est sodalitatibus bene constitutis capitalior. Metum, ac dissensionis periculum sapiens novi Præpositi Generalis electio sustulit.

Statim atque Societatis clavum Everardus Mercurianus accepit, ad varias ejus leges, quæ diversis Constitutionum locis erant sparsæ, ordinandas, componendumque veluti domesticum jus

incubuit. Inde Summarium Constitutionum, Regulæ communes, et reliqua hujus generis prodierunt. Quibus deinceps administrata legibus domicilia Societatis novum in litteris et pietate progressum habuerunt.

Collegium Græcii in Styria, condidit Carolus Archidux, et regia constructum magnificentia, constanti liberalitate ornavit. Difficilem Sociis aditum in hanc urbem fecit error in populum ab indoctis malevolisque sparsus, cui persuaserant omnia salutis æternæ præsidia collocari a doctoribus Societatis in Sanctorum invocatione ac patrocinio, ita quidem ut locus Christi Domini Salvatoris nostri meritis nullus relinqueretur. Ubi primum auditus est concionator noster, et explicatum dogma catholicum, quod in salutis negotio, primas et præcipuas partes ita Christi meritis tribuit, ut Sanctorum patrocinium non excludat; et quo rursum docemur, ita nobis prodesse Christi merita, si operam quoque nostram iis adjungamus : admirati sunt cives doctrinam veritatis, et quod in Societatem temere conceptum habebant odium, in ejus obtrectatores merito converterunt. Accessit Græciensi Collegio tribus post annis convictorum contubernium. Gregorius deinde XIII Seminarium Pontificium instituit : denique Carolus Archidux erectam in hac urbe Universitatem studiorum, et amplissimam Academiam Societatis curæ commisit, anno MDLXXXV. Collegia Græcii,

Brunæ, Brunæ, in Moravia, Probationis domum fundavit Joannes Grodesius, Olomuscensis Episcopus. Collegium in eadem urbe posuerunt Grodesii fratres Joannes, et Wenceslaus; hic Decanus Brunensis, ille Præpositus. Quod ad plenam perfectamque fundationem deerat adjecit Rodulphus Cæsar. Novam ædificii molem dedit Franciscus Dietrichsteinius Cardinalis, et Olomucensis præsul : proventus denique uberiores Ferdinandus II Messanæ, Imperator obtulit. Messanæ Domus Probationis a collegio sejuncta est, in quo ante hanc diem, tirones partem ædium incoluerant. Propriam illis domum Antonina Rocca, lectissima et optima femina, construxit. Collegium quoque inchoatum in urbe in Brasilia, Brasiliæ cui S. Sebastianus nomen est: vectigal Rex Lusitaniæ attribuit e fisco. Arequipa, Peruæ in Peruvia. civitas locuples, non procul a mari, loco peramœno, sed terræ tremoribus obnoxio, Societati pueros in scholis, cives in templis, indigenas in circumjecta regione Christianis præceptis et moribus imbuendos tradidit.

In Molucis P. Olmedus interiit. In Molucis Lusitana res et Christiana graviter laborabat, imminentibus undique Mahometanis aut barbaris, quorum telis confixus P. Hieronymus Olmedus interiit. In Goani Collegii templo ducenti quinquaginta ethnici novam e cœlesti fonte In Indiis prospera. vitam hauserunt; in Curtali prope Goam pago trecenti; in pago Murmugano quingenti septuaginta, in pago Berna quadringenti : in Bazainensi

collegio mille sexcenti; totidem fere partim Coulani, partim Cocini, Baptismo fuerunt expiati : et magno sæpe apparatu, ipso Prorege, ac proceribus sacram ceremoniam præsentia sua cohonestantibus.

Bella apud Japones,

Apud Japones civile bellum publicam rem in summa pericula cladesque conjecit. Nobunangæ auctoritas eo provecta paulatim erat, nihil ut ipsi ad summam potestatem deesset, præter Imperatoris nomen. Cavadonus exstincti nuper Imperatoris frater, reductum se velut in ordinem dolens, et solum sibi titulum Principis relictum, asserere se in libertatem tentavit. Ac Nobunangæ quidem famam et auctoritatem obterere clam conatus, cum nihil hac via proficeret, eidem bellum palam indixit. Victus ingenti prælio, victori se permisit, qui moderationis famam captans, brevem usuram vitæ misero Principi concessit. Eo in bello dimidia pars urbis Meaci cum celeberrimis Xacæ et Amidæ, quæ prima Japonum idola, templis deflagravit : delubra majora viginti, octoginta minora; mille domicilia Bonziorum, et insignis eorum Academia, eodem incendio consumpta sunt. Patres manifesto protecti Numine, incolumes evaserunt, quibus etiam Nobunanga suum contra Bonziorum opes patrocinium prolixe detulit, professus coram suis vera omnia et sancta esse quæ lex Christiana traderet.

Annus Christi 1574 : Societatis 35.

excursiones variæ,

Sedato civili Japonum bello, P. Franciscus Capralis, Provinciæ Japoniæ Præpositus, varia regna stationesque Christianorum cum Sociis aliquot perlustravit ut, si qua belli tumultus intulisset pietati vulnera, sanaret. Ac primo quidem Facatam revisit, quæ Societatis Sacerdotem nullum ab annis decem viderat. Amangucium paulo post adiit, unde ab annis viginti exulabant Evangelii præcones, pulsi a Rege Christianis infenso. Vigebat inter oppidanos tamen Fides. Sacellum privatis in ædibus construxerant quo certis diebus solebant convenire, legendisque piis libris, mutuisque de lege divina sermonibus, sacrum charitatis ignem tot annos aluerant. Inde iter ad Regnum Aqui convertit, Regem Moridonum salutaturus : a quo humaniter exceptus Sacaium ; et inde in Sangam insulam perrexit, sanctiorem ibi transacturus hebdomadam, quæ magno Christianorum undique confluentium concursu celebrata est. Christum flagellis crudeliter cæsum nobiles quinquaginta, cædendis pie in templo corporibus, imitati sunt. Longiorem Meaci moram Capralis traxit, dum Nobunangam salutat, et nostros spiritualibus commentationibus exercet, multi e proceribus cœlestem doctrinam, quæ libere ac palam explicabatur, audierunt ; aliqui studio cognoscendi quænam esset ; pauci cognitam amplectendi ; qui-

dam etiam, ut Apostolo inter superbos Areopagitas peroranti contigit, irrisere Christianorum, ut aiebant, credulitatem, qui Deum supplicio latronum affectum et in Cruce mortuum colerent. At iidem postquam intellexere Christum non propter sua, sed propter hominum omnium delicta mortuum, quorum pœnas in corpore suo luendas ultro susceperat, perculsi admiratione tantæ charitatis et liberalitatis (nam iis virtutibus maxime delectantur) Crucem, quam despexerant, venerati sunt, et nuntium superstitioni remisere : itemque alii complures in regno Tambæ, in arce Tacaceuquia, et in regno Omuræ, cujus Rex Bartholomeus insignem de crucis hostibus victoriam reportavit.

Erat uxoris ejus frater Isaphaës, ethnicorum perditissimus, et Regem a Christo avertere diu, sed frustra tentaverat. Regnum illi vitamque adimi citius quam Fidem posse ratus, conjurat cum Firandi rege; Omuramque noctu, proditione Bonziorum, occupat : civitatem diripit, sacram ædem incendit. Degebat in arce vicina Rex, cum paucis militibus et ingenti matronarum uxoris suæ comitum caterva. Deprehensus, et humanis opibus in tanto periculo diffidens, complectitur quem secum habebat hominem Societatis, et : Periimus, inquit, nisi nos Deus respiciat! hæc me reficit consolatio, quod aliam ob causam non oppugnamur, quam quia Christiani sumus. Tu fugam, dum licet, cape; Deumque, ut perditis prope

et insignis victoria.

rebus adsit, orare ne cessa. Negavit ille se abiturum, et Regem spe certa divinæ opis erexit; nec temere datam spem statim patuit. Nam lecta nobilium cohors ex urbe in arcem per medias hostium illam obsidentium legiones penetravit. Quo subsidio Rex animatus, militum partem in mœnibus, qua munimenta erant infirmiora, locat; matronas galea et hastis instruit, adeo ut agminis magni speciem e muris præberent : ipse cum lecta suorum manu prorumpit, majus quiddam humana virtute spirans : tantusque terror invasit hostes, ut ordinibus turbatis in fugam se conjecerint. Hoc successu excitati, et ira pariter ac pudore accensi Omurenses, qui se Isaphaï dediderant, correptis armis, quadringenti ad Bartholomeum accurrunt. Qui virorum fortissimorum numero et animis fidens incubuit perduellibus, et Isaphaën cum exercitu male mulctato ex omni ditione Omurensi abegit. Restabat Firandi Rex, ultima rebellium spes, qui cum eo belli societatem inierant. Ejus classem repentina tempestas illisit scopulis, demersit, dissipavit. Omura victorem Bartholomeum gratulantibus Christianis excepit, Bonziis silentibus quorum coryphæus male perierat, manifestæ divinæ ultionis documento. Diripiebat sceleratus templum Societatis in Omurano illo tumultu, cum Isaphaës Omuram occupasset, ac lineum e candida bysso amiculum, quo Sacerdotes in sacris cærimoniis uti solent, per ludibrium induerat. Ita

vestitus processerat in publicum. Miles ethnicus Patrem Societatis, aut custodem ædis sacræ arbitratus, ipsum in vestigio trucidavit. Cladem illatam templo nostro reparavit Rex, præcipuo civitatis fano in veri Dei templum commutato: in quo doctrina Christiana cum explicaretur, jussi sunt ordinum omnium cives interesse, ex iisque non pauci qui a Christo defecerant, ad eum sunt reversi: ethnicorum vero quadraginta minimum millia, hoc et sequenti anno ad Ecclesiam fuerunt aggregata, sacris ædibus ubique vel excitatis de integro, vel restitutis et refectis.

P. Valignanus appellit in Indiam.

Duodecimo Calendas Martii quatuor et quadraginta de Societate solverunt ex Europa in Indiam, ductore P. Alexandro Valignano, rebus in Japonia et India feliciter prudenterque gestis inclyto. Composita Goæ domestica disciplina, et nostris ad laborem et patientiam excitatis, Collegium Marganense in Salsetta constituit; vestigalibus a Sebastiano rege attributis. Malabaricam deinde oram peragravit, cujus in pago Puduguruca, cum permixtos Christianis ethnicos invenisset, in templum utrosque congregavit, hortatusque est ut omnes unam in religionem convenirent: id singulorum saluti, et utilitati publicæ conducere. Dicentem interrupit clamor ethnicorum, adscribi se Christianis postulantium. Jussit Valignanus procedere in medium quatuor e primoribus, specimen et pignus reliquorum. Isti crinem haud

Collegium Marcanense,

cunctanter secuerunt, quem superstitionis ergo alunt in vertice, seque pro suis fidejussores ac sponsores obtulerunt. Progressus inde Valignanus, et inspectis nostrorum domiciliis, templum Apostoli Thomæ memoria celebre veneratus, Goam se retulit, ubi datum domui Professorum initium. Statio quoque Malacensis sumpsit collegii nomen, idque post collegia Goanum, Cocinense, Bazainense, et Marganense, quintum Indiæ Provinciæ collegium fuit.

et Malacense.

Angolana Missio, etc.

Sic fructus non pœnitendos dabat Asia : verum Africa nec multos, nec satis maturos. Paulus Diazius quem profectum cum Lusitana classe in Angolam anno MDLIX, et legatione parum prospera usum, rediisse Olisipponem diximus, periculosæ legationis aleam iterum tentavit, cum lecta militum manu, et novo nostrorum agmine, cui P. Balthasar Barreira præerat. Ac primo quidem in Angolano littore Loandam oppidum occupavit, et ejus portum munimentis ac fida statione firmavit. Mox regem de datis ab ejus antecessore promissis admonuit, maxime de præstanda facili Lusitanis tutaque ad fodinas argenti via. Omnia Rex esse rata jussit, plura tamen verbis quam animo pollicitus. Interim Barreira cum Sociis viam Evangelio studuit aperire, paucisque mensibus interjectis, baptismus Æthiopum septuaginta splendide celebratus est in oppido Loanda. Per mediam urbem processêre ramum palmæ altera

manu, altera facem accensam gestantes. Qua specie populus ita commotus est, ut undique frequentes ad cæleste balneum confluxerint. Æthiopia inter paucissimas fruges multum lolii et spinarum offerebat. Plus aliquanto profectum in Tunetensi, in Algeriana, et in Illyrica expeditione. Socii cum classe ad Tuneti defensionem, e Neàpolitana provincia et Sicula missi, classicariis operam haud inutilem, quoniam aliud non licuit, navarunt. Algerium alii delati captivorum partem vinculis exemerunt, partem ad patientiam et mores Christianis hominibus dignos excitarunt. Catarum oræ Illyricæ urbem duo Patres Thomas Radius, et Salvator Armius, Episcopo flagitante, tanto excoluerunt impensius, quanto gravius armis Turcicis gens misera premebatur.

Excursio in Brasilia,

Longius ac diutius duo similiter e nostris evagati sunt in Brasilia. Regionem vastissimam, mille amplius patentem leucas peragrarunt. Menses quatuordecim tenuit ea expeditio in qua præter cœlestem doctrinam promiscue disseminatam, pueri moribundi ad quingentos æterna vita donati sunt. Minoris moræ ac defatigationis fuit, sed frugis uberioris excursio circa Sancti Servatoris urbem. Habet ingens ille sinus varios recessus, in quibus numerosæ divitum Lusitanorum familiæ partim ex indigenis Brasilis, partim ex advenis Æthiopibus conflatæ, occupantur in conficiendo saccharo, qua merce negotiatio Brasilica

præcipue continetur. In iis familiis plurimi divinis carebant animorum subsidiis; aliqui consenescebant in propudioso pellicatu; immortales alii fovebant iras : nec pauci numquam baptizati reperiebantur. Provisa sunt idonea tantis malis remedia; illud in primis ut crebro et bene parati accederent ad cœlestis agni mensam; cujus tanta cepit illos paulatim suavitas, ut ab ea se arceri parumper a Patribus, modum barbaræ pietati sapienter ponentibus, molestissime ferrent. Si Deus, inquiebant, tanta erga nos utitur liberalitate, cur adeo parci estis? Si corpus toties suo reficitur cibo, cur animo suus raro datur? Ad alendam inter ipsos mutuam charitatem, commendatum hoc fuit universis : ne quem præterire diem sinerent non aliquo misericordiæ et benignitatis opere insignitum; juvabatque illos, de hujus legis custodia interrogatos, audire sic prædicantes : Ego aquam ægrotantibus deportavi, dedi mendicis cibaria quæ paraveram mihi; ego afflictum colloquio pio recreavi; Ego dissidentes ad pacem et ad concordiam reduxi.

et in Perua;

Quamvis tardius ad Christum Peruani accesserint, quam Brasili, non erant in Christi lege percipienda lentiores. Deerant autem plerisque in locis magistri a quibus erudirentur : interdumque trecentarum leucarum spatio, unus dumtaxat Sacerdos rem Christianam curabat. Itaque Patres excepit avide provincia Chucuitis, totius Peruæ

frequentissima, olimque ditissima. Documento sunt veterum ædificiorum rudera magnifica, in quibus repertum ab Hispanis aiunt aureum caput, prope auream pariter statuam notis peregrinis inscriptam et litteris, quas interpretari nemo potuerit. Perventum inde Chuquisacam, quæ alio nomine Plata, sive urbs Argenti, et Argentopolis dicitur, ob vicinas argenti fodinas. Iisdem abundat Potosinus ager, sed multo est sterilior, et procellis infestus. Caput regionis Potosium : hominum innumerabilis et in urbe, et in montibus circumjectis multitudo, lacerandis terræ visceribus, et eruendo quod melius lateret auro intenta; major enim multitudo vitiorum, quæ avaritiam *omnium radicem malorum* comitantur. Ea tamen, cœlo aspirante, magnam partem sensim emendata sunt, collegio constituto. Collegium Potosinum.

Sed jam nos in Sueciam, ultimum Europæ ad Septentrionem tractum, Religio vocat. Danis e Suecia pulsis, Gustavus I ea potitus obiit anno MDLX, relictis duobus filiis Joanne et Carolo. Joannes Gustavo successit: Joanni Sigismundus qui paterno Sueciæ regno addidit, post obitum patris, anno MDXCII, regnum Polonicum. Rex a Polonis electus, transgressusque in Poloniam, Sueciæ administrationem tradidit Carolo Sudermaniæ Duci, patruo suo. At ille regnandi avidus regnum Sueciæ Sigismundo eripuit, et Luthero nomen dedit palam. Ejus filius Gustavus Adolphus In Suecia,

magni cognomen obtinuit; sed Germaniæ ac Religioni funestum, quas cladibus diu lugendis affecit. Pœnas utrique debitas solvit, cæsus ad Lutzenam anno MDCXXXIII. Successit illi Christina ejus filia, quæ depositum sponte sceptrum, anno MDCLIV, tradidit Carolo Gustavo consobrino suo. Is diem obiit anno MDCLX ac regnum filio Carolo X reliquit.

Adeundæ Sueciæ causa hæc Societati fuit. Joannes Sigismundi pater, habebat in matrimonio Catharinam, e præclara Jagellonum Polonorum domo, lectissimam feminam, et apprime catholicam; ipse Lutheranus, ut reliqua fere Suecia. Cum tamen voluntatem aliquam restituendæ in regno suo religionis antiquæ ostenderet, idque summopere flagitaret ejus uxor, misit ad eum summus Pontifex P. Stanislaum Varsevitium, Collegii Vilnensis in Lithuania rectorem. Egit ille diligenter ac diu cum Rege de revocandis ad Ecclesiæ gremium Suecis; Reginam, ejusque filium Sigismundum in Catholicæ Fidei retinendæ proposito confirmavit. Sed cum Rex omnino concedi vellet a Pontifice conjugia Sacerdotum, et divini Convivii liberam sub utraque specie communionem, nihil perduci ad exitum potuit; ac Vilnam, irrito incœpto Varsevitius repetiit. Nec tamen spes negotii melius gerendi, aut conatus, a Societate abjectus est, quæ postea in Sueciam eo consilio non semel revocata est.

P. Stanislaus Varsevitius.

At in Belgio nefarios hæreseos impetus comprimere, ac bene sentientium partes communire licuit. Itaque provincia Societatis Belgica numero collegiorum crevit. Brugis in Flandriæ comitatu jam dudum magna cum celebritate operatus erat Robertus Claissonius aliique Patres, ac nuper Franciscus Costerus. Nunc tandem summis votis expetiverunt, atque impetravere Collegium Remigius Druitius, Præsul, cum clero et civibus, præcipue Jacobo Pamelio, eruditissimo viro, is qui in Tertullianum commentaria edidit. Trajecti ad Mosam, ubi præsertim P. Henrici Dionysii opera floruerat, Nicolaus Stratius, templi principis Decanus, moriens Societatem hæredem ex asse scripserat: exinde civium postulatu scholæ apertæ sunt. Antverpiæ, ubi sedem adhuc exiguam in conducta domo Societas nacta fuerat, emendæ domus opportunæ potestas ante hunc annum non fuit. Quod ab Albano Duce impetrari non potuit, id Ludovico Requesenio, pro Rege Catholico post Albanum gubernatore, apud Senatum obtentum est. Ædes peramplæ per civium liberalitatem coemptæ tandem fuere.

Collegia, Brugis,

Trajecti ad Mosam,

Antverpiæ.

Negotii minus fuit in constituendis collegiis Heiligenstadii, Jaroslavii, Mussiponti, et Aletii, quamvis alicubi solitæ difficultates fuerint superandæ. Heiligenstadium est in eo Germaniæ tractu, quem Eisfeldiam appellant, inter Saxoniam et Hassiam. Archiepiscopus Moguntinus,

Heiligenstadii,

cujus in diœcesi ea civitas est, cum serpere venenum erroris in oppido cerneret; concionatores Lutheranos, quorum opera spargebatur, amovit, et ad propulsandam plebis inscitiam emendandosque mores, erigendi collegii cogitationem et curam suscepit. Doluere quibus odio Societas erat. Compressit illorum consilia, tum Præsulis auctoritas, tum in libertatem vindicata mulier, quæ duodevigesimum jam annum a dæmone obsessa, Lutheri ministros in variis Saxoniæ, Thuringiæ, et Eisfeldiæ locis curationem aggressos lassaverat. Hanc in templum protractam obtulere Patribus, sperantes fore ut ex eorum perturbatione, et irrito conatu invidiam ipsis et contemptum conflarent. Occurrit furenti feminæ P. Ludovicus Berchelius, vocemque intendens jubet dæmonem facessere. Paruit, et mulier sibi ac bonæ menti est in perpetuum restituta. Non minori laude celebrata est in Lithuania P. Petri Scargæ moderatio et religiosa patientia, cui cum hæreticus medio in vico colaphum infregisset, non modo ignominiam æquissimo et animo et vultu vir prudens et fortis toleravit, verum etiam ut ignosceretur percussori, apud Episcopum et proceres indignitati facinoris graviter offensos effecit. Jaroslaviense in Russia collegium Sophia, Voinicensis Castellana obtulit; admisit Everardus Mercurianus; Simon Fridelius inchoavit. Carolus Cardinalis Lotharingus cum insignem academiam erigeret Mussiponti, eam

Jaroslaviæ,

Mussiponti,

Societati moderandam tradidit. Aletium, quam Lupiam nonnulli vocant civitas est ampla et opulenta in veteri Calabria, Brundusium inter atque Hydruntum, octavo a mari lapide. Missus P. Bernardinus Realinus, qui cum civibus de collegio transigeret, initium domicilio dedit, in quo deinde cum singularis opinione sanctitatis vitam virtutibus et miraculis nobilitatam ad extremum usque senium duxit. et Aletii.

Annus Christi 1575 : Societatis 36.

Quanto digniores sunt commiseratione Græci, qui desertæ religionis pœnas tam graves etiamnum pendunt; tanto diligentius, quamcumque potuit, illis afferre opem Romana Ecclesia laboravit. Ad eos misit identidem præcones veritatis; qui et ipsorum discuterent tenebras, et ærumnas sublevarent : iis denique domicilium Roma obtulit, constituto Græcorum collegio. Hujus conditor Gregorius XIII, habebat in animo ejusdem administrationem Societati committere. Sed hoc onus varias ob causas deprecatus est Præpositus Generalis, oravitque ut aliis demandaretur. Illi vero cum suo munere parum sedulo fungerentur; provinciam hanc Societati Gregorius XIV imposuit, relicta domesticæ rei et nummariæ cura penes quosdam externos administratores: qui cum lites quotidie molestas et controversias moverent; collegii gubernationem Societas cum bona venia Collegium Græcorum in Urbe.

Pontificis prorsus abdicavit anno MDCIV. Anno tamen rursum MDCXVII eam recipere coacta est; et universum collegium, amotis externis curatoribus, permissum illi fuit.

Hæc in Urbe data Græcis opera : verumtamen non destiterunt interim Socii excurrere in ipsam Græciam, et finitimas Græciæ insulas : e quibus Cephaloniam, Zacynthum, et Cretam hoc anno lustrarunt. Cretæ facies apparuit vitiis et superstitionibus misere deformata. Græcorum orthodoxorum exiguus numerus; schismaticorum longe major; cultores etiam aliquot Latini ritus : cuncti per incuriam aut absentiam pastorum, inscitia divinæ legis et alta caligine demersi. Nam Græci Sacerdotes, matrimonio illigati, et liberis vulgo abundantes, neglecta Dei domo, suam quisque curabant; Latini vero pastores in Italia plerumque versabantur. Hæc inter mala, id percommode accidit, quod Insulæ præesset Clarissimus Toscarinus, cujus exemplis et auctoritate Patres omnia multo quam speraverant ad sarciendas religionis clades faciliora invenere. Pari studio Epidaurensis Respublica (Ragusium vulgo appellant) nostrorum, quos acciverat, labores promovit. Neque intra civitatem fructus constitit. Patres Emerius de Bonis et Julius Mancinellus, Sacerdotum par egregium, ad Illyrici maris insulas cum Archiepiscopo profecti, collapsam multis in locis pietatem erexerunt.

Missiones in Græcia, Creta, et

in Illyria.

Eamdem operam ne Brasilis Lusitani Patres navarent, per Mamaluchos stetit, qui Patrum fortunatos labores et religionem indignis cladibus affecere. Supra urbem sancti Salvatoris Brasiliæ primariam, Boream versus, flumen est cui Regali nomen inditum. Hujus accolas, post diuturna cum Lusitanis bella, tandem pacis amor et Evangelii ceperat. Nuntius felix magna voluptate Socios qui degebant in urbe S. Salvatoris implevit. Ad eos profecti, populum volentem erudiunt, nonnullos morbis oppressos, et animam agentes, meliore vita donant. Inde progressi ad pagos Sirigio flumini adjacentes, accolas convocarunt unum in locum, ut facilius erudirentur. Scientiam salutis docent. Jam duodetriginta pagi de pace ac religione amplectenda consenserant; cum Mamaluchi, animos optime comparatos perturbarunt, et consilia nostrorum conatusque profligarunt. Mamaluchos ibi appellant Europæo patre, et matre Brasila genitos : improbum genus, impium et crudele; quamvis Christiana professione ac nomine glorientur. Unus ex istis Mamaluchis Brasilo nobili uxorem eripuerat; alii Brasilos a Patribus undique congregari criminabantur, ut uno conclusos loco facilius in servitutem abducerent. Hoc rumore indigenæ perculsi, hac raptæ mulieris injuria efferati, alii fugere, alii arma corripere; cuncti Lusitanum nomen et Christianum execrari. Operam offerebant suam Socii

Clades in Brasilia.

Prætori Lusitano ad sedandum hunc tumultum, et concordiam redintegrandam. Auditi non sunt : et immisso in regionem milite, Brasili complures sine discrimine trucidati fuerunt, aut mancipiorum instar crudelibus dominis venumdati.

Progressus in Mexico;

In Americæ septentrionali parte, mitiora et pridem domita Mexicanorum ingenia latissimum propagandæ Fidei aperiebant campum. Mechuacani et cives S. Angeli, Zacatecani et Guatemalenses, simul et Guaxacani vehementer instabant. Collegium accepit Guaxaca, una e primariis novæ Hispaniæ civitatibus, leucis octoginta distans Mexico. Ædes coëmerant Hispani; templum Indi suis manibus fabricarunt.

Obices in Japonia.

In Japonia cursum Evangelii retardabat, regis Bungi uxor, nova quædam Jesabel : hoc enim ipsi nomen passim a Neophytis impositum. Quotidianæ illi altercationes cum Rege, qui fovebat Christianos, et eorum denique profiteri legem statuerat; sed politicis rationibus, quales optima Principum consilia sæpe pervertunt, præpeditus, diem ex die ducebat. Solent Japonum reges e liberis majorem natu solio suo, etiam dum vivunt valentque, imponere; minorem vero, si quem habent, cooptare inter Bonzios, ne fratri molestiam facessat, regnumque perturbet. Expectabat Bungi Rex dum filio majori suo ætas maturior et regno gubernando par accederet, neque antea poterat adduci, ut se Christianum palam ferret. Interim

filium natu minorem adscripserat in familiam Bonziorum, et in ejus gratiam templum magnificentissimum exstruxerat. Verum adolescens ad Christianam dudum religionem propensus, Regi denunciavit certum sibi esse, Bonziis relictis, Christo nomen dare. Sapiens filii consilium Rex laudavit, statimque Patrem Capralem evocavit, qui ceremoniam baptismi perageret. Id ubi rescivit Regina, furere scilicet, ac Regem filiumque devovere. Contempsit Rex muliebres furias, et uxore invita, perseveravit in proposito, baptizatusque Princeps adolescens Sebastiani nomen accepit. Mox verbis et exemplo tantam vim nobilium juvenum pellexit, ut illis erudiendis ternas quotidie, quaternasve horas Patres darent. In iis adolescentibus Cicatora, nepos Reginæ fuit. Hinc novus improbæ furor. Nihil omisit quo juvenem in avita superstitione retineret. Postquam illum de sententia dimoveri non posse vidit, iram omnem effudit in Patres, a quibus institutus ille nomen Simonis in sacro fonte sumpsit. Eos regno pellere, ac si liceret internecione omnes delere constituit, adhibito in consilii et scelerum societatem fratre suo, ethnico potentissimo, et Christianis æque infesto. At hunc Rex minis et imperio coërcuit; uxorem vero, cujus impotentiam et furores ulterius ferre non poterat, thoro et regia demum anno MDLXXVIII ejectam, res sibi suas habere jussit.

Collegium Bituricense,

Aucta est Europæa Societas domiciliis aliquot in Gallia, et Hispania. Bituriges, antiquorum Avaricum Biturigum, ampla civitas et Archiepiscopatus, in Galliæ umbilico fere sedet. In ea collegium jamdiu moliebatur Joannes Niquettus, Abbas egregie pius; cujus denique constanti studio, et Archiepiscopi ac Senatorum rogatu factum est, ut ipse Rex Henricus ponendi collegii onus ultro susciperet. Petrus Guerrerus, Præsul, Granatensis collegii fundator declaratus est, qui ædificatione novi templi, impensisque cæteris magnas pecuniæ summas contulerat. Numantinum collegium, in Castella veteri, (quam urbem in annalibus Romanis olim celebratissimam, hodie Soriam vocant) inchoavit nobilis virgo Joanna Mendoza, ejusque fundationi vectigal necessarium Joanna Maria, soror ejus hoc anno explevit. Tarracone, in Catalaunia, Domum Probationis Cardinalis Cervantes condidit. Domus Professorum, Xeræ, in Vandalitia tanto libentius accepta est, quanto commodior locus, non procul ab ostio fluvii Bætis, unde in Indias navigari vulgo solet.

Granatense,

Numantinum.

Domus prob. Tarraconæ,

Professorum Xeræ.

Annus Christi 1576 : Societatis 37.

Japonia novum hoc anno Regem Christo dedit. Erat Arimæ Rex, frater natu major Bartholomæi, Regis Omuræ, dudum Christiani : adhuc ethnicus ille quidem a divina tamen lege non abhorrens, cujus sanctimoniam et a fratre non semel

audierat, et in fraternis exemplis vitaque suspiciebat. Præterea florentem regni Omurani statum, reportatas proxime de gravissimis hostibus a Bartholomæo victorias, concordiam Christianorum et cum suo Rege consensionem, considerans; tenere se non potuit quin P. Almeidam arcesseret, a quo plenius edoceretur, et salutari balneo lavaretur. Nomen illi Andreas factum. Ejus uxor, frater, soror, aliique passim e nobilitate ac populo sacrum fontem impleverunt adeo, ut spatio sex mensium numerus ad millia quindecim excreverit. Præcipuum dein urbis Arimæ templum Christo dicatum; erectæ per oppida pagosque Cruces, trophæa debellatæ impietatis. Ad tantæ messis cumulum accessit Michaël, Amacusani Principis filius; itemque mirabili gratiæ divinæ prodigio conversus ad Fidem pessimus Bonzius, qui sectæ Itcoxorum columen habebatur. At nobiles circiter viginti convenere in quamdam sodalitatis formam, ut diebus Dominicis post sacrum et concionem, unus in orbem alios convivio exciperet ea lege, ut nulla de re fieret sermo totum diem nisi de rebus divinis, deque falsis ethnicorum rationibus refellendis. Qua exercitatione tantam sunt cœlestis doctrinæ cognitionem adepti, ut nemo vel e veteranis Bonziis cum eorum quopiam auderet certamen committere. Quanto Meacum, Japoniæ caput, antecellit Arimæ, tanto conspectior ibi gloria religionis fuit. Cœperat ea jam ab aliquot annis per

In Japonia Rex Arimæ fit Christianus.

Meacense Templum.

amplissimam urbem propagari. Visum itaque Patribus pertinere ad majestatem divinæ legis ut templum poneretur, quod ejus dignitati utcumque responderet. Descriptum fuit ad rationem et leges Europææ architecturæ. Christiani proceres materiam, operas, pecuniam contulerunt. At vero cum ethnici opus assurgere supra tecta sua et delubra viderunt, Præfectum urbis frequentes adiere. Querebantur, in suam ac Deorum suorum injuriam, molem immensam erigi. Respondit Præfectus, lætandum ipsis potius esse, quod ejusmodi fabrica strueretur, ex qua Meaco non vulgare decus accederet. Responso irritati, selectos cives quadraginta cum ingenti munere ad Imperatorem allegant, orantes, ut jubeat opus everti. Nobunanga ne venire quidem illos in conspectum suum passus est. Templum Assumptæ in cœlum Virgini Matri dedicatum, ac duplici statim commendatum felici eventu fuit. In caput operarii nudum, ut fere habent Japones, lapsa tegula qua procul dubio necandus erat, summam tantum verticis cutem perstrinxit. Is beneficium Numinis agnoscens non alia ratione gratias a se melius referendas credidit, quam si baptismo suscepto, vivum Dei templum fieret. Deinde, cum incendium ex improviso coortum, urgente vento, ad sacram Societatis ædem raperetur, jamque parietes lamberet, converso repente vento, in diversam partem retortum est. Templo absoluto, placuit sacrarum quoque

ceremoniarum specimen dare, ac Diacono et Subdiacono rite ministrantibus divinam rem apparitu splendidissimo facere. Hoc primum solemne sacrificium in Japonia celebratum est : concurrentibus ac mirantibus ethnicis, quos inter Bonzius, conspecto rituum sacrorum splendore, et Christianorum moribus ; non solum Christi legem, sed etiam Societatem amplexus est.

Ternatâ discedendum cum Lusitanis.

Lætitiam propagatæ feliciter apud Japones religionis obscuravit ejus in Molucis clades. Ternatam insulam obtinebant Lusitani, ex eaque in vicinas insulas Christianum diffundebatur nomen, indignantibus Mahometanis, quorum Rex Babus Ternatinam arcem septem annis terra marique obsedit, ac demum expugnavit, Lusitanos abire quo vellent, impune passus. Patres in diuturna obsidione Sacerdotum non modo, sed prope militum functi muneribus, in Amboïnum insulam se receperunt ; miserabilem pietatis Christianæ statum deplorantes, cujus in exitium conspirabant : indigenarum levitas, odium Mahometanorum, et Batavorum invidia.

Collegium Pernambuci.

Lusitanis res in America felicius accidit. Hoc anno Pernambuci (quæ civitas inter Brasiliæ præcipuas numeratur, locupletibus Lusitanis frequens) fundatum est a Sebastiano Rege collegium, provinciæ Brasilicæ non leve decus et incrementum. Exposita Romæ et in Lusitania sedis opportunitas fuerat. a P. Greg. Serrano, Brasiliæ Procuratore.

In Peruvia, parœciarum cura,

At Socii quatuordecim ex Hispania in Peruam delati, cum unum in locum omnes convenissent, multa utiliter statuerunt ad provinciæ Peruanæ progressum spectantia. Illud plurimum controversiæ ac difficultatis habuit: suscipiendæ essent, necne Parœciæ, in quibus a nostris munia curionum exercerentur? id flagitante Prorege. Videbatur opus alienum Instituto Societatis; at parochorum penuria, et salus animarum hanc imponere necessitatem censebatur. In eam denique sententiam discessum est, ut Juliensis parœcia, certis legibus constitutis, administraretur, experiundi causa. Quod si consilium recte succederet, tunc aliæ susciperentur parœciæ: non tamen perpetuæ, sed tamdiu dumtaxat, dum idonei Parochi reperirentur. Quod si Episcopus vellet Societatis parœcias visere? Censuere patres non recusandam Episcopi visitationem, in rebus proprie ad parœciam pertinentibus; quod autem ad homines ipsos attineret, modeste et humiliter libertatem religiosam conservandam. Admittenda quæ consueverant a populo in templis offerri, ut fructus, et alia hujusmodi munera, eaque statim in pauperes distribuenda, aut ad ægrotos deferenda; neque ullo pacto in Societatis domicilium importanda: res vero majoris pretii, deponi posse penes populi magistratum, et pios in usus opportune impendendas. Nullam pro Sacrificiis mercedem; legatum nullum accipiendum. Cantum conser-

suscipitur, certis conditionibus.

vandum in Æde sacra, et ceremonias, quarum splendor pietati publicæ fovendæ plurimum conducit. Est Juliensis tractus, ubi prima illa parœcia suscepta fuit, in provincia Peruæ Chuquito, ad lacum Inticacam, quinque et viginti leucis distantem ab urbe Pacis; ab Cusquo sexaginta. Numerus incolarum explebat sexdecim capitum millia. Commercii opportunitas, quæ advenas undique colligit, tum etiam ejusdem linguæ cum regionibus vicinis communio, in causa fuit cur ista sedes reliquis anteponeretur.

In Europa labores varii.

Non vacat peractas in Europa excursiones Evangelicas recensere. Præcipuæ fuerunt Fulginii in Umbria, duce atque auspice P. Joanne Gurrea; in Romandiola, Forolivii P. Melchiore Brocha; in Prussia Regia, Culmæ et Marienburgi P. Martino Laterna; in Moravia, Znaymæ, P. Alexandro Hollero; in Styria, Græcii, ubi Seminarium institutum. Denique in Suecia, quam revisit P. Laurentius Nicolaï, alio nomine Norvegius, ut spem revocandæ ad Ecclesiam Sueciæ anno MDLXXIV datam excitaret. Sed hæc missio longioris ac difficilioris operæ annis sequentibus reservanda.

Annus Christi 1577 : Societatis 38.

Videbatur Joannes, Sueciæ Rex, facile rediturus ad Ecclesiæ Romanæ communionem, si quis ipsi aditus aperiretur. Id jam dudum agebat ejus conjux, in primis catholica, Reginæ Poloniæ

In Sueciam P. Nicolaius mittitur,

soror; et huic negotio idoneum putaverat P. Laurentium Nicolaium, patrii sermonis et moris gnarum, quippe in ipsa natum Norvegia, et sacris litteris non leviter excultum. Igitur arcessitus in Sueciam, et a Rege perhumaniter exceptus, reperit eum in volutandis Sanctorum Patrum monumentis studiose versatum, ac satis perspicacem ut verum cerneret; nequaquam tamen satis validum, ut quod videbat et probabat, sequeretur, ac palam ferret. Obstabat multiplex metus, hinc a Danis; inde a fratre suo Carolo, Principe Sudermaniæ, patrono hæreseos, qua, tamquam gradu, ad invadendum aliquando Sueciæ regnum uti destinaverat : denique a populo, e Lutheri ministris suspenso. His terroribus Joannes conturbatus faciendum existimavit ut P. Nicolaius, dissimulata parumper professione religiosa, specimen ederet eruditionis, seque cognoscendum Holmiensibus Ministris præberet. Pater sapienti consilio morem gerens, insinuat se in illorum familiaritatem, et apud homines non imperitos famam viri docti consecutus, ipsis renuntiat se ideo venisse ut operam popularibus suis potius, quam alienis navaret. Illi virum bonum et eruditum conspicati, oriundum e Norvegia, vicina, nec suspecta regione, quem minime catholicum, multo vero minus Jesuitam opinabantur, amplissimis cum verbis Regi commendant: dignumque prædicant qui locum inter primarios Upsalensis academiæ nuper a Rege

constitutæ doctores obtineat. Nihil accidere poterat optatius Regi. Laurentium theologiæ tradendæ præficit, imperatque ut Holmienses ministri docentem frequentes audiant. Novi doctoris famam ægre tulerunt Olaus, pastor civitatis, et Abrahamus gymnasii publici rector. Itaque de illo abigendo rationes inter se inierunt. Invidorum consilia et machinationes fregit Rex. Abrahamum etiam loco movit, quod populum seditiosis orationibus concitaret; sed cum subrogatus illi Rector lutheranus male gymnasium administraret, id muneris demandatum fuit P. Laurentio, eique scholæ omnes permissæ. In iis ita se gerebat, ut curam præcipue intenderet ad subruenda clam hæreseos fundamenta, et confirmandum Regem in suscepta profitendæ palam catholicæ veritatis voluntate. Ac sane paucis diebus tantum profecit, ut Rex populi, cui percarus erat, benevolentia fretus conventum Episcoporum ac Procerum indixerit, in eoque de revocanda pristinæ religionis forma et integritate disseruerit, probante universo cœtu, et Regis orationem faustis vocibus prosequente. P. Nicolaius utendum populi studio existimans, auctor fuit Regi, ut virum inter primores regni, perspectæ fidelitatis ac prudentiæ, Romam legaret ad Summum Pontificem, ut cum eo ageret de reducenda ad Sedis Apostolicæ auctoritatem Suecia. Missus est per speciem alterius cujuspiam negotii Pontus, Gardiæ comes, eique data in mandatis tria:

ibique docet,

et mittitur Romam Legatio.

Primum ut conditiones quasdam Vicario Christi proponeret, sine quibus ejusmodi concordia coalescere non posse videbatur; deinde (quoniam Dani et Moscovitæ bellum haud dubie Suecis illaturi erant, si religio mutaretur), ut Pontifex Imperatoris ac Polonorum auxilia Suecis conciliaret; denique ut ad Regem mitteret Sacerdotem expertæ auctoritatis ac sapientiæ, qui negotium tantæ molis administrare feliciter posset. Ecclesiam regebat ea tempestate Gregorius XIII, qui gratulatus ætati suæ tam præclaram occasionem religionis apud Suecos in antiquum decus reponendæ, Legatum audivit perlibenter et omnia pollicitus est, quibus Regi fieri satis posset quoad jus et æquitas pateretur. Hoc successu erecta Joannis uxor Catharina, P. Stanislaum Varsevitium accivit ex Polonia, quem formandæ filii suis Sigismundi pueritiæ præficeret. Laurentius vero Nicolaius sex adolescentes Suecos præclaræ indolis misit Romam, educandos in collegio Societatis quod nuper Gregorius XIII fundaverat in gratiam Germanæ juventutis. Qui horum omnium exitus fuerint annis sequentibus narrabitur.

Collegium Lucernense.

Idem Pontifex laudavit pietatem Lucernensium, qui Religionis conservandæ studio collegium expetiverant, litteris ad P. Everardum datis. Est Lucerna civitas primaria unius e septem Catholicis Helvetiorum pagis. Civium benevolentia in Societatem, et ad retinendum Fidei beneficium ardor,

elucet in litteris quas ad Præpositum Generalem scripsere *, decimo septimo Calendas, ex pleno hujus rei causa coacto Concilio. Gregorius Pontifex ut collegii ornaret incunabula, Bibliothecam libris lectissimis instruxit.

* *Hist. S. J. P. IV. l. V. n.° 105.*

Idem aliud illustrius ad ornandum religionem in India præstitit. Cum enim cognovisset Christianos, qui ab Apostolo Thoma olim magistro suo Thomæi etiamnum appellantur, ab erroribus qui paulatim in eorum sacra et mores irrepserant magis magisque purgari per Societatem, eam commendavit Regi Cocinensi, cujus in ditione magna pars Thomæorum est, utque patrocinio suo rem Christianam promovere pergeret oravit. Rex litteris Summi Pontificis incitatus, concessit ut in suo regno sedem poneret Societas, ubicumque libuisset : Antistes vero Thomæorum, rogatus a P. Alexandro Valignano Visitatore, facultatem Sociis amplissimam dedit exercendi solita ministeria, in eo quem eligerent domicilio. Electa est Vaipicota, oppidum in ditione Regis Cocinensis, vicinum Cranganori, ubi arx Lusitanorum est.

In India,

Vaipicotana Sedes.

In ultima Asia Japonensis Ecclesiæ serenitatem conturbavit, primo quidem improvisa et intempestiva mors Regis Arimæ, quem anno superiori Andream in sacra Baptismatis ceremonia vocatum fuisse memoravimus : deinde vero ejus filii, longe parenti dissimilis impietas, qui regno potitus et liberam in Christianos, quos semper

Regis Arimæ filius religionem perturbat.

oderat, impune sæviendi potestatem nactus, disjecit Cruces, sacella evertit, nec paucos metu, minis, et cruciatibus, a Christo avertit. Indigne tulit audaciam juvenis et immanitatem Bartholomæus Rex Omuræ, et Andreæ nuper mortui frater. Pergit ad nepotem, exprobrat crudelitatem, injicit metum, lenitatem severitati admiscet. Patrui monitis et auctoritate conterritus Arimensis, inductum se in fraudem a Bonziis confitetur, promittit revocandos Patres, quos expulerat, et omnia pristinum in statum restituenda. Pignus datæ fidei ac velut obsidem obtulit fratrem suum, adolescentem indolis optimæ, quem doctrina Christiana imbui, ac baptizari voluit. Mox P. Capralem, qui monitus a Rege Bartholomæo acceleraverat, excepit perbenigne, audivit docentem, et Christi ut prius prædicandi potestatem fecit; adeo ut in spem veniret Capralis eum quamprimum Bonziis, et idolis patriis eripiendi. Tanta res nondum erat matura. Decus hoc P. Alexandro Valignano servabatur, qui suffectus in locum P. Capralis, anno MDLXXIX, manum ultimam operi feliciter inchoato adjecit.

In Africa, res deterior,

In Africa res Christiana fiebat in dies apud Abyssinos deterior. Eam utcumque sustentabat cum paucis Sociis Patriarcha Andreas Oviedus; Fremonæ ut plurimum degens in regno Æthiopiæ Tigræo, ad Erythræum mare. Oppidum Fremonum narrant olim conditum a sancto Frumentio,

quem S. Athanasius ad Æthiopes erudiendos miserat; illudque Dei singularis tutela contra irruentes Turcas, et gravissima pericula semper texit, licet nullis aut militibus aut propugnaculis, munitum. Id Oviedus prædixerat, ejusque meritis apud Deum et precibus hæc incolumitas oppidi accepta jure fertur. Alterum in Æthiopia interiore oppidum (Dambeam incolis dictum) incolebant aliquot Lusitani, ad quos, ne præsidio Sacramentorum carerent, profecti sunt PP. Consalvus Cardosus et Franciscus Lopius. Uterque in prædones incidit* a quibus, Cardoso trucidato, Lopius acceptis vulneribus, evasit. Non diu superstes fuit ipse Patriarcha. Hunc dolor calculi, ut certiora docent monumenta, vinculis corporis hoc anno, ac diuturnis laboribus liberavit. In Societatem adscriptus fuerat anno MDXLI, annos ipse natus quinque circiter et viginti. Ad ejus tumulum fieri cœpit concursus, etiam schismaticorum, qui ablatum ex eo pulverem sibi, et armentorum suorum morbis salutarem esse testabantur. Eratque tanta opinio ejus virtutis, et quidem non obscuris prodigiis comprobata; ut orta gravi quapiam altercatione, dissidentes deducerentur ad ipsius sepulcrum jurandi causa, idque jusjurandum sanctissimum haberetur. Oviedo ut succederet P. Melchior Carnerus constitutum initio fuerat: sed cum Carnerus a Pio V fuisset Ecclesiæ Japonicæ ac Sinicæ præpositus, edixit Gregorius XIII ut

* *anno* 1574.

et Oviedi Patriarchæ obitus.

Æthiopici Patriarchæ nomen et munus ad eum e nostris deferretur, qui Sociis illic præesset. Is erat P. Emmanuel Fernandius qui, post P. Andreæ Oviedi mortem, pavit pusillum catholicorum in Æthiopia gregem, et anno MDLXXXIII morbo ærumnisque confectus interiit.

Collegium Veronense.

Dum Itala Societas tranquilla gaudens pace, Veronense collegium cæteris jam constitutis adjungit, partim Augustino Valerio, partim Huberto Sacramoso vitæ subsidia suppeditantibus: non-

Turbarum aliquid in Polonia,

nihil turbarum exstitit foris in Polonia; in Hispania vero et foris et domi. Stephanus Bathorius Poloniæ Rex suam in Societatem benevolentiam cum sæpe alias, tum vero perhonorificis suis litteris significaverat; quin etiam voverat, si Gedano, quod Hæreticorum ac rebellium præsidio tenebatur, potiri contingeret, se collegium Societatis ibi positurum; ac sane paucis post diebus victoriam insignem de hostibus decimo sexto Calendas Majas retulerat: verum perduelles reparatis per autumnum viribus, oppida regia pervastarunt, et ignem ferrumque Braunspergæ minabantur. Cives ingenti pecunia se suaque redemerunt. Addita est ab Hæreticis conditio, ut Jesuitæ insuper ejicerentur. Ultro ipsi discesserunt, ne civitas cujus incolumitati consultum suo quovis detrimento volebant, ipsorum causa periclitaretur. Non longum tamen eorum exilium fuit. Quartodecimo post die, sequestra pace sunt reversi.

Recte fuit illud observatum a S. Bernardo, parum esse metuendas religiosis familiis tempestates, quæ veluti foris intonant, modo intus ac domi pax vigeat. Eam ob rem e duobus turbinibus qui Societatem Hispanam concusserunt, alterum, obiter hic indicabimus, ut minus periculosum; alterius, quia domesticus, causas et progressum paulo uberius evolvemus. Capti fuerant anno MDLXXVI, in Bætica, flagitiosi Sacerdotes, et ignominia merita notati. Illos e nostris esse religiosus concionator palam affirmaverat, ac libellos etiam spurcissimis refertos calumniis contra Societatem vulgarat. Sed causa per sacros Quæsitores cognita convictus calumniator obmutuit. Metum dumtaxat incussit extrinsecus hic et repentinus tumultus, vulneris nihil intulit. Non item ille domesticus et intestinus, quem P. Dionysii Vasquii audacia et temeritas excitavit. Turbare jam in Italia cœperat homo duri et atrocis ingenii, ac mentis, ut apparebat, parum sanæ. Remissus in suam Hispaniam, et majorem dicendi scribendique licentiam ibi nactus, Societatem filius ingratus ac degener in multis capitibus accusavit. Præcipua numerabat tria: primo graduum variorum discrimen, et non ferendam, ut aiebat, in communi multorum vita inæqualitatem; deinde rationem eligendi Rectores ac Superiores, quæ penes Præpositum Generalem tota erat: eos enim a sua quemque provincia eligendos esse contendebat. et Hispania.

Postremo in dimittendis hominibus a Societate, peccari non pauca querebatur. Libellum etiam composuerat, in quo probare nitebatur proprium quemdam Præsidem Sociis Hispanis esse tribuendum, quos in tanta locorum longinquitate satis cognitos esse posse Præposito Generali, atque adeo recte ab illo gubernari negabat. Neque hæc solus; sed alii post ipsum complures ab eo velut in partes tracti, fremebant. Ac libellum quidem Vasquii, et alias gregalium ejus querimonias P. Petrus Ribadeneira gravibus confutavit argumentis, quæ cum ostendisset Vasquio, mutare sententiam est visus : brevi tamen rediit ad ingenium; utque in campis nocentes herbæ affatim et sua sponte luxuriant; sic prima illa turbarum semina inter quosdam rerum novarum cupidos progerminarunt. Ignari ferme horum tumultuum vivebant germani Societatis filii, aut mæsti turbulentos lugebant! Interim, per istos Hispaniæ motus, natum est collegium Compostellanum, parente Archiepiscopo civitatis Francisco Blanco; itemque statio Ubedæ, quæ civitas ad fluvii Bætis fontes sedet. Stationi postea nomen et justa forma collegii accessit anno MDXCI.

Collegium Compostellæ, etc.

Annus Christi 1578 : Societatis 39.

Nunc ad res actas in Suecia redeundum est. Lectiora semina iis terris commissa fuere : utinam ad maturitatem perduci aliquando potuissent!

Suecia Rex Joannes III a Gregorio XIII petierat virum notæ fidelitatis ac prudentiæ, cui se suaque consilia de revocandis ad Ecclesiæ catholicæ grenium Suecis aperire tuto posset. Pontifex huic muneri P. Antonium Possevinum destinavit, eumque nomine et auctoritate Nuntii Apostolici ornavit; diligenter admonens ut caute ac pedetentim aditus molles tanti negotii et tempora captaret. Possevinus iter flexit per Germaniam, quasi cum Cæsare quidpiam acturus quod ad Societatem nostram spectaret. Ibi Mariam Austriacam convenit, filiam Caroli V, et Maximiliani II paulo ante vita functi viduam. Quæ cognito Possevini adventu et legatione, personam illi et nomen imposuit sui ad Regem Sueciæ Legati et Oratoris super Maximiliani Cæsaris obitu. Placuit ea species ac persona Regi. Possevinum publice, quo ritu Principum Oratores admitti solent, excepit: privatim, ut Sedis Apostolicæ Nuntium veneratus est: statimque sermonem intulit de quatuor illis capitibus, quæ concedi sibi a Summo Pontifice postulabat, quo mollius religionis mutationem populus ferret: nempe ut liceret Sacerdotibus matrimonia contrahere; preces in templis vernaculo sermone recitare; bona Ecclesiastica ne ab injustis possessoribus saltem omnia repeterentur; demum ut Eucharisticæ mensæ accumbentibus sacri Calicis usus permitteretur.

Possevinus Legatus ad Regem Sueciæ,

Satis intelligebat Possevinus nequaquam hæc Romanæ curiæ probari posse, nec Sueco facile

concedendum quod a Concilio Tridentino plerisque Principibus viris, et ipsi Ferdinando Imperatore negatum fuerat, cum eædem negandi causæ starent. Nihilominus cavit ne verbo duriore animum Regis abalienaret, præsertim cum Pontifici nondum esset deliberatum, et constitutum quid super his capitibus responsi daret. Tum autem sperabat Regem, si semel agnosceret auctoritatem Summi Pontificis, non ægre ad molliores conditiones descensurum. Itaque faciendum ante omnia censuit, ut hæresi deposita debitam sedi Apostolicæ obedientiam et obsequium profiteretur; ac vicissim promisit futurum nihil aulæ Romanæ antiquius, quam ut ipsi satis omnino fieret. Multa Possevino Rex objecit, qualia fere ab iis objiciuntur quorum animis tenebras error et inscitia catholicæ veritatis offudit. Pleraque Possevinus ipse litteris consignavit, in eo libro quem Bibliothecam selectam inscripsit *. Ibi capita quatuordecim ac dubia recenset a Rege sibi proposita datasque singulis responsiones : ac præsertim illud caput expendit : « Quare, cum Ecclesiam veram tam certa, tam multa demonstrent argumenta, tot quotidie tamen reperiantur homines non tardi, neque imperiti, qui ad eam non accedant, aut ab ea recedant »? Rex, audito per otium Possevino, sibi plane constare de veritate dogmatis catholici respondit, ac Fidei professionem e præscripta olim per Pium IV formula edidit. Mox totius vitæ peccata confessus,

eum ad Fidem Romanam revocat.

**P. I. l. VI. cap. 31.*

promisit se staturum judicio sedis Apostolicæ, quod attinebat ad illa capita, et postulata, quæ proponenda Summo Pontifici curaverat. Quibus peractis illum Possevinus cum Ecclesia Catholica reconciliavit, gratias agens Numini, profusisque lacrymis Superos rogans, ut hoc felix, faustum, fortunatumque toti Sueciæ, esse vellent. Rex eum amantissime complectens : *En ego te amplector,* inquit, *et Ecclesiam Romanam in æternum.*

At Nuntius Apostolicus haud ignarus quam varia commutabilisque sit Regum ac regnorum ratio; quanta imminerent, cum res in apertum erumperet, pericula, iis occurrere quam diligentissime laboravit. Ac primo quidem Pontificem fecit de re tota certiorem; deinde Sacri collegii Patres, examinandis regiis postulatis a Gregorio præpositos, monuit ne quid acerbius decernerent; ac, si quid Regi denegandum videretur, id quam mollissime fieret; denique ut religioni consuleret in posterum inter Suecos, quocumque tandem verteret alea, duo Seminaria Suecis adolescentibus educandis designavit in Germaniæ ac Poloniæ finibus. Porro, quoniam ipsius fidei ac prudentiæ credita quædam erant, quæ necesse habebat Summo Pontifici explicare coram, in urbem acceleravit; cum litteris Regiis ad eumdem Gregorium XIII, necnon Catharinæ, ejus conjugis, et Sigismundi Principis regni hæredis, scitissimi pueri annos tunc duodecim admodum nati.

Egressus Stockholmia Possevinus navim appulit Gedanum, ubi quatuor e Societate Sacerdotes Polonos reperit, quos Sueciæ Regina Catharina acciverat, ut P. Nicolaium et rem catholicam adjuvarent. Eadem navi qua Possevinus venerat Gedanum, Holmiam delati sunt, et operam utilem statim navarunt erudiendis adolescentibus bonæ indolis, ea tamen adhibita cautione, ut publice ac palam abstinerent a tractandis Fidei capitibus controversis, et occasione data veram pietatem teneris mentibus instillarent; id quod Nicolaius, collegii Holmiensis moderator, aliis quibusdam præceptoribus e Belgio vocatis diligenter commendaverat. Possevinus lustratis ex itinere Polonia et Germania; constitutisque rebus non paucis, ad religionis decus ac firmitatem spectantibus, Romam tandem attigit. Gregorius audito legationis successu, gratias Deo magnas egit, optimumque factu judicavit si Possevinus rediret in Sueciam et optatos ad exitus bene cœpta perduceret.

Legatio ad Maronitas.

Non minorem Sanctissimus idem Pontifex, at diuturniorem hausit voluptatem ex altera legatione ad Maronitas, Societati pariter imposita. Maronitæ, gens apprime catholica, Libanum incolunt montem, ubi et Patriarcham habent. Turcarum subduntur jugo, sed tolerabili, manetque religioni libertas non pœnitenda. Magnus inter illos religiosorum virorum, major virginum Deo consecratarum numerus : nec minor innocentia;

vetus et constans populi obsequium et reverentia adversus Romanam Sedem. Illorum Patriarcha Episcopum et Archipresbyterum hoc anno misit ad Gregorium XIII, qui suo nomine profiterentur obedientiam, et implorarent opem contra nonnullos schismatis perniciosi sartores. Audivit legatos benigne Pontifex, et amplissimis ornatos donis remisit, cum duobus e Societate Sacerdotibus Joanne Baptista Eliano, et Thoma Ragio, linguæ Arabicæ, quæ vernacula Maronitarum est, peritis. Illi, observatis, quæ longa die in libros ac ritus gentis irrepserant, vitiis, Patriarcham admonuere. Qui cum respondisset nihil futurum in se moræ quominus cuncta emendarentur; Patres operi manum admoverunt. Ac libros quidem plerosque mutilos, et perperam exaratos; nonnullos etiam Dioscori maculis aspersos invenere: in ritibus animadversa sunt multa per simplicitatem inducta contra catholicum morem. Infantes ante quadragesimum diem nefas ducebant baptizare. In conficiendo chrismate admiscebant oleo et balsamo alia non pauca : baptizatis infantibus continuo divinam Eucharistiam, ritu Græcorum impertiebant. His aliisque id genus corrigendis optimum factu videbatur, si gentis universæ Synodus cogeretur. Libris, quia nec singuli commode, neque omnes emendare poterant, ea ratione provideri posse creditum est, si Arabici et Chaldaici typi formarentur, unde magna librorum procuderetur

FATHERS LIBRARY, SAN JOSE, CAL.

copia, et in omnem nationem spargeretur. Hæc ut procurarent Patres in Italiam sunt reversi, et duos adolescentes, quasi specimen universæ gentis et pignus, secum deduxerunt; cumque Romæ fusis ex ære characteribus, plurima volumina fuissent impressa, jubente Pontifice, legationis negotium feliciter est biennio post redintegratum.

P. Lelesius in Hungaria utiliter laborat.

Instauratæ pariter in aliquot Hungaricis urbibus expeditiones Evangelicæ, haud sane minus quam apud ipsos Maronitas necessariæ. Hungariam quidem Socii sæpe antea lustraverant, sed obiter et veluti prætereuntes. Moram in ea longiorem traxit P. Joan. Lelesius, gente Hungarus, urbis Agriensis Episcopo instanter petenti datus. Agria, media inter Budam et Cassoviam itinere, firmo tunc erat contra Turcas præsidio communita; at Religio, pariterque innocentia et mores ceciderant. Divina res fieri desierat, unicum tota in urbe restabat altare. Hæreticus rabula multitudinis aures impune obtundebat. Quo pejore loco res erant, eo impensius remedium afferre Sacerdos vigilantissimus laboravit. Ac primo quidem privatis publicisque sermonibus sacramentum pœnitentiæ, pene antiquatum, revocavit. Deinde divini sacrificii, cœlestisque mensæ frequentem induxit usum, et sacras ceremonias pristino paulatim restituit splendori. Postremo novitatis pestiferæ magistrum ita confutavit, agitavitque, ut fugam cum omni familia procul arripuerit.

P. Magius hæreseos Doctorem Viennâ pellendum curat.

Sed, quod incredibile videatur, non in remotam tantum Hungariam, at in ipsum Austriæ sinum, mediam in Viennam insidiosa novitas, quæ teste Apostolo, *ut cancer serpit*, irrepserat. Opitius quidam Flaccianus, ex infima plebe ortus, ingenio acer, audacia et lingua promptus, cetera litterarum rudis, doctrinam exitialem in urbanis ædibus, quas vocant Provincialium, aliquot jam annis, publice tradebat, eamque collegerat existimationem, ut multa auditorum millia numeraret, in iisque principes civitatis non paucos. Ingemiscebant omnes probi, vixque sperabant tantum malum, tot illustribus patronis defensum, exscindi aliquando posse. Ausus est P. Laurentius Magius, tacentibus cessantibusque cæteris, aditu invento, convenire Cæsarem, ac docuit quantum ipsi dedecus, quantam civitati perniciem afferret vilissimi hominis, in urbe Imperii primaria, in oculis Principis, audax et sacrilega impudentia. Periculi gravitatem intellexit Cæsar, et prudenti festinatione conatus antevertit procerum Provincialium, qui sycophantam retinere decreverant, rati si ex Metropoli exturbaretur hæretica concio, fore ut in reliquis civitatibus sponte corrueret. Undecimo Calendas Julias edictum vulgatur, quo doctor sceleratus cum suis commilitonibus, eodem die ante solis occasum decedere Vienna jubebatur. Pudet referre quam multi discedentem urbe comitati sint, quot honoris et benevolentiæ documentis

prosecuti, ut vel inde mali gravitas æstimari posset. Levata tanto malo civitas Societati gratias ingentes egit, dum eidem sexcentas cruces Lutherana factio imprecabatur.

Moroviam P. Tolmainer expurgat.

Non levius de catholica re meritus est P. Michaël Tolmainer in Moravia, cujus in limite visitur Austrum versus Sancti Nicolai oppidum, vulgo Niclesburgum. Hæc omnium errorum sentina erat, quo quidquid in Moraviam invehebatur veneni confluebat. Eo vel impietas, vel inscitia processerat, ut plerique baptismum rejicerent, tamquam inane commentum, a presbyteris excogitatum. Accidit singulari Dei clementia, ut oppidum hoc in ditionem catholici dynastæ, Adami Dietrichstein veniret. Is continuo cœpit urgere ut Sacerdos e nostris, quem dixi, huc mitteretur. Tot sentibus ager infelix inhorrescebat, ut assidui laboris exiguus fructus exstaret. Miraculis Deus expugnavit infidorum civium pertinaciam. Mulier ægre parturiens, post acerrimos tridui dolores, quorum gravitas miseræ mentem emoverat, ubi ejecto fœtu mortuo, paulum sui compos facta est, peccata deposuit, sacrum viaticum sub una specie sumpsit a P. Tolmainero; ab eodem inuncta oleo sacro est, et quam omnes ut mortuam conclamaverant, sana derepente constitit. Aliis duabus mulieribus ægre similiter parturientibus, nec non hydropico, cui jam funus parabatur, salus ope Sacramentorum restituta. Pater ex urbe in vicinos pagos excurrens,

religionem ubique collapsam erexit, et innumeros mortales, in quibus plurimi grandes natu, vitali baptismatis fonte recreavit.

Lanspergæ Domus Prob.

Multa quoque ad Ecclesiasticam disciplinam spectantia revocata sunt Lanspergæ in Bavaria. In primis usus Unctionis Extremæ, qui per socordiam populi ferme antiquatus jacebat. Abolita quoque consuetudo non ridicula minus, quam crudelis : Ultimo enim supplicio afficiendos onerabant vino, ut potu graves, levius necem corporis ferrent, anima interim pereunte. Complures etiam hæreseos laqueis expediti fuere : quibus olim per nostros solutus Comes Suechardus Helfenstein, cum rependere Societati vicem cuperet, intellexissetque desiderari domum Probationis in provincia Superioris Germaniæ, hanc domum Landspergæ fundandam sibi ultro depoposcit. Illuc Tirones deducti fuerunt undecimo Calendas Maias.

Collegium Recinetense.

Solebant Lauretani collegii Patres in æstate, cum Laureti cœlum est gravius, Recinetum secedere ad tertium inde lapidem, ubi purior aura et salubrior. Cum vero necessarium corporibus otium, etiam conferrent in culturam animarum, et magnas Recinetensibus utilitates ea Statio afferret; mutari placuit illam justum in collegium, cui rite ponendo vectigal Nic. Leopardus attribuit.

Inter præsidia et adminicula conservandæ Societatis statutum ab ejus auctore S. Ignatio fuit ut Sacerdotes nostri, post litterarum studia rite

Tertius Probationis annus

decursa, iis parumper omissis, vacarent annum unum Deo et sibi, totique essent in exercitatione vitæ interioris ac pietatis, quo fere modo tirones in ipso religiosæ Professionis aditu exercentur. Hunc tertium Probationis annum vocamus; estque in singulis vulgo Provinciis domus huic anno tertio assignata. Hunc morem intermitti quandoque opus initio fuerat, propter paucitatem operariorum, quorum aucto subinde numero revocatus est in usum, et in Provincia Romana Sacerdotes illi tirones Romæ collocati; ast eadem in domo ac primi Tirones, in Monte Quirinali. Visa postmodum est Setia, urbs Latii ad Pontinas paludes, commodior ad pium hunc secessum, eoque translati Sacerdotes fuere anno MDCII.

instauratur Romæ, et

dein Setiæ.

Provincia Longobardiæ dividitur

Cum numerus sociorum et domuum in Italia esset in dies uberior, placuit provinciam Longobardiæ in duas partiri, Mediolanensem et Venetam. Mediolanensis domum Professorum, collegium Breranum, Seminarium Mediolanense, Probationis domum Aronensem, collegia Genuense, Comense et Taurinense complexa est. Veneta, Professorum domum Venetiis, domum Probationis Novellariæ, collegia Patavii, Bononiæ, Ferrariæ, Mutinæ, Forolivii, Parmæ, Brixiæ, et Veronæ.

in Venetam et Mediolanensem.

In Belgio rerum summæ angustiæ.

In Belgio Sociorum numerus, et domiciliorum fiebat in dies angustior. Perduelles fœderati, vim ubique, arma, exitium denuntiabant. Eorum conatus ut frangeret Philippus, arma armis, vires

viribus opponere cogitaverat. Quamobrem Ferdinandus Alvarus Toletanus, Albæ Dux, ab illo missus in Belgium cum copiis, exeunte Sextili, anno MDLXVII, feralem hydram ferro et flamma succidere conatus est. Efferavit Belgas intempestiva severitas. Revocatus in Hispaniam Dux Albanus, anno MDLXXIII, successorem accepit Ludovicum Zunigam Requesenium, qui cum bellum vario marte, nec ita prospere gereret; pacem hostibus offerre cogitur Philippus. Animos illis fecerat Angliæ Regina, patrocinium hæreseos et perduellionis amplexa. Requesenio tribus post annis demortuo, subrogatus Joannes Austriacus, Philippi nothus frater, neutro felicior fuit. Eo spreto convenerunt Fœderati Gandavum; et concordiæ quoddam Edictum arbitratu suo composuerunt, quod paulo post resciderunt, auctore præcipuo Guillelmo Nassavio, Principe Arausicano, quo duce bellum acrius est renovatum.

Id cum viderent catholici et hæresim in dies magis confirmari cernerent, Mathiam, Rodulphi Cæsaris fratrem evocarunt, quem opponerent Nassavio, et cujus auctoritate Religio niti posset. Nassavius Principem adolescentem in suas partes traxit, et rerum, ut antea, potitus est. Sed cum non levi ad Gemblacum clade, hoc anno MDLXXVIII, affectus fuisset ab Austriaco, illum publicæ libertatis et Belgii hostem renuntiandum curavit, simulque dandam cuilibet, Calvinianæ

Sectæ in Belgio profitendæ facultatem. Composita est in hanc sententiam jurisjurandi formula, quam cum repudiaret Catholicorum pars melior, opprobriis, et cladibus variis vexata est. Antverpienses Socii cum juramento subscribere renuissent, ipso Pentecostes die ab irrumpentibus Hæreticis, templo ædibusque sunt ejecti, et ægre Mechliniam, inde Lovanium attigerunt, inter perduellium probra et fœda ludibria. Jamjam Trajectenses ob eamdem causam collegium deserere coacti erant. Tornacensibus irrogatum idem exilium tertio nonas Junii. Brugenses clementius dimissi. Duacenses a furiosa plebe abacti, paulo post a Senatu revocati sunt : alii non nisi post plures annos rediere. E quatuor quæ restabant in Belgio familiis, Leodiensis hoc anno non habebat incommode. Cameracensis et Audomarensis ægre se tenebant, senatus bonorumque præsidio. Lovaniensem dispersit pestifera lues; arcano Dei consilio, ereptis tum maxime cum gravitas tempestatis postulare videbatur artem gubernandi singularem, iis viris qui præ cæteris idonei videbantur. Eodem anno, Calendis Octobris religiosissimam mortem obiit, magno catholicorum luctu Joannes Austriacus, prope Namurcum, mediis in castris. Usque ad ultimum halitum ad latus habere voluit P. Joannem Fernandium, qui militibus operam dabat. Paulo ante illius mortem Alexander Farnesius, Dux Parmensis, Gubernatoris partes in Belgio

suscepit. Etiam anno subsequenti, in domibus Lovaniensi, et Leodiensi, plures e patribus eadem pestilentia absumpti sunt.

Funestus pariter Lusitaniæ annus MDLXXVIII fuit, ob tristem Africani belli exitum, in quo Rex Sebastianus, amor suorum et spes, cum flore nobilitatis periit. Communis dolor Societatem nostram proprio quodam ac peculiari luctu affecit, non solum propter amissum Regem Ordinis nostri amantissimum, sed etiam propter invidiam in Socios Lusitanos ex ejus morte concitatam; quos infaustæ expeditionis auctores vel impulsores falsus rumor diu jactavit. Certe, cum Rex Patri Ludovico Consalvio, qui a sacris confessionibus ipsi erat, suum de prima in Africam trajectione consilium aperuisset anno MDLXXV, respondit Consalvius disertis verbis in hunc modum : *Tria, Rex, conveniant necesse est ut in Africam trajicias : Primum, ut numerosa prole regnum tuum bene fundatum relinquas; alterum, ut sine totius Lusitaniæ summo et evidenti periculo non possis expeditionem hanc omittere; postremo, ut apparatum bellicum, pecunia, milite, commeatu instructissimum habeas. Horum si quid desit, nullo pacto de illa profectione tibi censeo cogitandum.*

Sebastiani Regis obitus; in Africano bello,

invidiam in PP. Lusitanos suscitat.

Hæc non minus vere quam sapienter dicta, æstum juvenilis animi, bellicæ gloriæ cupiditate flagrantis, paulum in præsentia restinxerunt; sed

vocibus adulatorum post paulo acrius incaluit. Profectus in Africam est. Non cessavit Consalvius eum urgere crebris ac prope importunis litteris, ut rediret. Rediit : professus morem se illi bene monenti libenter gerere. At Consalvio subinde mortuo, Rex Consilii sapientis olim ab eo dati oblitus, ad repetendam expeditionem infaustam animum adjecit, frustra dissuadentibus P. Mauritio Serpio, qui subrogatus in locum Consalvii fuerat; P. Michaele Turriano Reginæ confessario; P. Leone Henricio, quem Cardinalis Henricus conscientiæ suæ arbitrum delegerat. Eorum avertere consilia, et auctoritatem infringere conabantur quidam aulici, quibus Patrum gravitas, fides, et in dicenda sententia integritas non placebat. Quin etiam ipsos palam accusabant quod Sebastiani Regis matrimonium cum Margarita Regis Galliarum sorore impedivissent. At illos in eo quoque negotio religiose, prudenter, ac pie versatos esse, nullumque ab iis huic matrimonio allatam fuisse moram testatus est S. Franciscus Borgia, qui cum per idem tempus venisset in Lusitaniam, Cardinali Alexandrino, Pii V Legato, datus comes et consiliorum particeps, cognoscere diligenter omnia studuerat. Quippe illi matrimonium hoc, tamquam magni ad rem Christianam momenti, Pius V. gravissimis verbis commendaverat. Eamdem de Patribus sententiam tulit, eidemque summo Pontifici renuntiavit Ludovicus

Turrianus, ab eo missus in Lusitaniam ad promovendum illud conjugium. Datam affirmavit operam a Sociis ut animum Reginæ Catharinæ, per quam maxime stabat, ne res conficeretur, ad Pii V voluntatem adducerent. Erat sane Catharina, ut omnes fatentur, non vulgari virtute prædita, sed Austriacæ tamen domus suæ studio, a Gallis alienior, et ab hoc Sebastiani cum Margarita conjugio plane abhorrens, cui unam e Maximiliani filiabus uxorem destinabat. Interim Carolus IX Galliæ Rex moras pertæsus, et privatis Regni sui rationibus ductus. Margaritam Henrico, Regi Navarræ, despondit.

Disturbato hunc in modum matrimonii negotio, Sebastianus ad belli Africani consilia se retulit. In ea cogitatione defixum oblata occasio vehementius accendit. Duo Principes Africani Mahametes, et Abdelmelechus de regno Mauritaniæ contendebant. Mahametes acie non semel victus, et imparem se sentiens, opem Lusitanorum imploravit, ipsis oppida quædam maritima pollicitus; in primis autem facturum amplissimam potestatem Christianæ legis in Mauritania prædicandæ. Sebastianus hac illectus esca, et ingens momentum ad victoriam fore arbitratus, si adesset ipse; in Africam, omissa ducendæ uxoris cura, transmisit. Secuti Regem sunt, ut juvandis militibus et excitandis præsto essent, Socii quindecim, qui commissa infeliciter pugna, fere omnes in hostium

potestatem venerunt. P. Leo Henricius a nobilitate delectus est, qui tristem nuntium ferret Henrico Cardinali, Sebastiani fratri, ad quem rerum summa spectabat. Ille non diu regnum tenuit * et cum Sebastianus cœlebs, ac prolis expers periisset, de Henrici successore disputatum est. Quo in certamine Philippus II, Hispaniæ Rex, superior exstitit, et Albertum Austriacum gubernandæ nomine suo Lusitaniæ præfecit.

* *anno* 1580.

Rex Bungi ævo maturus baptizatus,

Dum suum amittunt Regem Lusitani, unum e suis Regibus Japonia Christo dedit; ac duobus jam Christianis ibi Regibus addidit, tanto majore lætitia, quanto diutius fuerat expectatus. Hic ille Rex Bungi est, quem S. Franciscus Xaverius ante septem et viginti annos primis Fidei Christianæ elementis imbuerat. Jam tum ille idolis nuntium remittere statuerat. Causas tam diuturnæ cunctationis P. Caprali coram sic edisseruit. « Dudum in animo mihi erat, inquit, religionem quam e Sancto Patre Xaverio didici, et in qua sola veritati ac saluti locum esse agnosco, palam complecti; quominus id ante hanc diem facerem rationes domesticæ me prohibuerunt. Exspectabam dum regnum, ut Japoniæ mos et leges ferunt, in filium meum majorem natu transferre possem : jam illi ætas idonea, quæ hactenus deerat, accessit. Præterea studui cognoscere per otium Bonziorum sectas, quæ probitatis et sapientiæ laude cæteris antecellunt. Earum decreta, ritus,

cur Francisci nomen sumpserit.

mysteria omnia excussi, et introspexi. Nihil in iis solidum, nihil in quo plane acquiescerem, deprehendi. Quare nulla est in me mora, quin Christianus sim. Aliud vero nomen imponi mihi nolim, quam Francisci, quo nomine appellatum recordor Xaverium meum, et Japoniæ nostræ magistrum sanctissimum. » P. Capralis ingentes Deo gratias egit, ac Regem solemni baptizatum apparatu quinto Cal. Septembres, in æde Beatissimæ Virginis Vosuquiana, Franciscum nominavit. Qui eodem die convivam ultro se Patribus offerens, et religiosa exceptus mensa, statim atque domum inde rediit, novum religionis et vitæ genus, quod in posterum sequi decreverat, illustri facinore declaravit. Habebat ornatissimum in regia sacrarium, in quo deorum domesticorum statuas colebat insignes duas, opera singulari artificioque laboratas, nihil ut videret Japonia tota perfectius. Eas deturbat, affligitque : mox nobiles aulicos advocans. Ite, inquit, et ligna ista in mare projicite. Admiratio civitatem, Bonzios luctus ac terror opplevit; eorumque præses : sibi jam nihil, diisque suis loci fore videns, collegit vasa, et Meacum profugit. Rex, urbe regia, quam filio in regni possessionem misso concesserat, relicta, novam condidit, ubi Deo et sibi vacans uni, mortalium rerum curis exsolutus, reliquam ætatem pie placideque decurreret, simulque in amplificando Christi regno curas omnes conatusque consumeret.

Diu frui optata quiete non licuit : et adversis probanda rebus optimi Principis virtus erat. Ejus filius Bungi Rex, dum acceptam a Rege Saxumæ injuriam armis vindicare parat, victus ingenti prælio et amissis amplius viginti suorum millibus, in fugam se conjecerat. Saxumanus victoria non contentus irrumpit in Bungense regnum, et omnia ferro flammisque delet. Rex adolescens ultimum in discrimen adductus, cogitur ad Parentem in pio otio latentem, supplex confugere, ac precari ut ruentis regni curam tantisper iterum suscipiat. Franciscus ægerrime passus e placido veluti portu revolvi se in belli negotiorumque fluctus, filii tamen ac procerum deprecationi cessit. Ac primo quidem dynastas quatuor, quorum inscitia et improbitate res gesta male fuerat, exilio mulctavit : deinde conscripsit exercitum e priscis fidisque clientibus; copias in aciem educit, cæsoque hostium duce, et seditiosis quibusdam supplicio affectis, regnum filio pacatum reddit, ac suam se in solitudinem receptat. Profecit ex ea calamitate junior Bungi Rex. Christianis antea infensus, æquiorem se illis ac mitiorem præbuit; utque collegium Societatis Funaii, suo in regno, poneretur annuit. Domum Probationis addidit in oppido Vosuquio, quam brevi sexdecim Tirones, partim Japones, partim advecti ex Indiis impleverunt.

Annus Christi 1579 : Societatis 40.

Novum hic annus aperit stadium Societati, limitibus quidem modicis circumscriptum, rerum tamen gestarum numero, varietate, ac mole, vix ulli Societatis Provinciæ secundum. Hæc Transsylvania est, intra Poloniam a Septentrione, Hungariam ab occasu, Moldaviam ab ortu, et Valachiam a Meridie jacens. Statum illius tum civilem, tum Ecclesiasticum, a primis usque temporibus repetitum exposuimus alibi *. Regibus Hungariæ fere semper paruit ad annum usque MDLXXI, quo Transsylvani Principem e regionis proceribus sibi præfecerunt Stephanum Bathorium. Is deinde ad Poloniæ solium vocatus Transsylvaniam fratri suo Christophoro Bathorio tradidit. Sed illam Sigismundus Christophori filius Rodulpho Cæsari, utpote Hungariæ Regi certis conditionibus reddidit. Eamdem, invitis Imperatoribus, interdum tamen studio pacis dissimulantibus, deinceps occuparunt Stephanus Boskaius, Sigismundus Rakocius, Gabriel Bathorius, Gabriel Bethlemus. Demum vero Austriacis restituta plane fuit, anno MDCLXXXVII.

Societati Transylvania panditur.

* *Hist. Soc. P. V. lib.* 12. §. 8. *et seq.*

P. Joannes Lelesius ex Hungaria transgressus in Transsylvaniam, ubi religionem in gravissimo versari periculo audierat, ita se catholicis atque adeo ipsis hæreticis probavit, ut Christophorus Bathorius, Transsylvaniæ tunc Princeps,

gravissimas pro adjungendis illi Sociis litteras dederit ad Summum Pontificem, ad Præpositum Generalem Societatis, et ad Fratrem suum Poloniæ Regem Stephanum Bathorium. In iis litteris significabat : Lelesii concionibus, et vitæ sanctimonia innumeros mortales, exiguo tempore, partim in fide catholica fuisse confirmatos, partim liberatos diuturnis erroribus et vitiis. Addebat in epistola fratri data, Arianos quadraginta impium dogma, quo die illam scripserat, detestatos esse.

Collegium Claudiopoli.

Itaque jubente Summo Pontifice, Stephano Rege Poloniæ urgente, qui dum adhuc Transsylvaniæ principatum tenebat, Societatem enixe postulaverat, Socios decem Poloniæ Provincialis Claudiopolim, urbem e Transsylvaniæ præcipuis, misit, ipsis Calendis Octobris collegii fundamenta posituros. Ad eorum conspectum efferatus Calvini grex negat admittendos; et conventum provinciæ flagitat, in quo res Ordinum omnium suffragiis disceptatur. Verum Proceres, quamvis hæresim aut aperte profiterentur, aut occulte defenderent, nihilominus, quia videbant liberos suos magistris destitutos inertia et otio marcescere, Societatis causam ultro sunt amplexi, eique libera potestas facta, quæcumque munia consuevit, administrandi. Momentum tamen præcipuum ad vincendam causam exstitit in Principe, qui cum cæteris dotibus egregiis, tum studio religionis dignum se Stephano Rege Poloniæ germanum præstabat.

Immatura morte post biennium ereptus, orbam Societatem ac Transsylvaniam reliquit. Ejus filium Sigismundum, a nobilitate successorem Patris designatum, Stephanus Poloniæ Rex, pupilli tutor, in P. Lelesii disciplina voluit adolescere; suscepto palam Societatis patrocinio, et auctis Collegii Claudiopolitani vectigalibus. Huic postea accessit Seminarium Pontificium, opera P. Antonii Possevini. Nullum enim vir efficax et gloriæ divinæ cupidus prætermittebat locum, ubicumque posset, consulendi saluti animarum : id quod maxime intellectum est hoc anno, cum a Gregorio XIII redire jussus in Sueciam, nusquam ferę vestigia sua posuit, quin illustre monumentum aliquod pietatis relinquerit.

In Sueciam rediens Possevinus,

Magnam secum ferebat copiam librorum catholicorum quos et donabat viritim, et publicis in diversoriis proponendos et affigendos curabat, antidotum scilicet apponens veneno, quod iisdem in locis ignara plebs bibebat. Hanc enim artem Lutherani ad impium virus proseminandum invenerant, ut in cauponis suos exhiberent libros, et Germani ultro citroque commeantes, dum prostantes chartas cupide legunt, errorem inter vina facilius haurirent. Ineunte Februario Bavariam attigit, ubi redditis Alberto Duci Bavariæ a Pontifice litteris, multa cum eo disseruit ad religionis tutelam decusque spectantia. Monachio digressus Palatinatum superiorem petebat, cum grave

periculum et hæreticorum insidias, superis adjuvantibus, effugit. Georgius, Princeps Lutheranus, Rheni Comes, domo Bipontinus, et Regis Sueciæ affinis, cujus sororem habebat in matrimonio, litteris multorum et sermonibus cognoverat id moliri Pontificem Romanum, ut Sueciam Luthero eriperet. Hoc nuntio perculsus scripsit ad Sueciæ Regem, ad ejus fratrem Carolum Sudermaniæ Ducem, defensorem hæreseos acerrimum, et ad vicinos Principes, eosque tanquam ad propulsandam injuriam excitavit. Deinde collocavit exploratores qui Pontificis legatum interciperent. Possevinus diversum secutus iter evasit in Poloniam, sed antea Seminaria duo instituit, fundatore Gregorio XIII, unum Olomucii, Brunsbergæ alterum : duo religionis propugnacula, ubi finitimarum regionum juventus arma reperiret idonea defendendæ veritati, et ea tractandi modum condisceret. Cracoviæ dies aliquot moratus, ut stationem Societatis collocaret in hac regia civitate, duos e quatuor Sacerdotibus, quos secum deducebat, in ea reliquit, ut Apostolicæ doctrinæ triticum repurgarent a lolio, *quod inimicus homo superseminabat.* Ipse cum aliis duobus Poloniæ Regem, Stephanum Bathorium, convenit Vilnæ in Lithuania, eique Sueciam, si quis tumultus ob religionis mutandæ causam oriretur, commendavit. Neque omisit illum admonere de Polonia, in qua Lutherani, Ariani, Calvinistæ, et Zuingliani,

Olomucii et Brunsbergæ Seminaria ponit;

doctrinæ integritatem cum regni tranquillitate vehementer labefactabant. Eminebat inter illos eruditione atque audacia nescio quis Andreas Volanus qui, contra catholicum dogma de sanctissimo Sacramento, volumen per eos dies conscripserat, eo graviori cum periculo, quod tunc liber vulgabatur, cum Poloni dynastæ ad regni comitia Vilnam confluebant : quibus in otio facultas legendi major, et aviditas propter novitatem erat. Perfecit Possevinus ut exitialis liber, et abortivus fœtus, ipso in ortu exstingueretur et e manibus hominum tolleretur; deinde proprio commentario Volanum confutavit, quo perlecto cum alii sanati, tum unus e primoribus quem liber pestilens in errorem induxerat.

Vilnæ hæreticum Volanum confutat.

His in Polonia et Germania gestis, ventum denique in Sueciam est. Hic rerum incredibilis mutatio deprehensa. Carolus Regis frater, suscepto palam hæreseos patrocinio, ad invadendum Sueciæ regnum (quod postea Sigismundo nepoti suo eripuit) grassabatur, ac terrores, arma, clades clero populoque denuntiabat. Principes Lutherani, unice metuentes ne bona Ecclesiastica male occupata restituere cogerentur, fremebant palam : ministri erroris et verbo et scripto classicum canebant. In quibus David Chytraeus novam editionem Augustanæ confessionis Regi dedicare non dubitavit. Tot machinis concussa Principis meticulosi constantia nutavit. Patrem Nicolaium,

Rex Sueciæ abalienatus a Patribus.

quem suo Collegio præfecerat, aspernari, et oblique perstringere; magistros novitatis laudibus tollere; interesse Lutheranorum cœtibus et ceremoniis; quin etiam quosdam catholicos, negotium religionis apertius urgentes, in vincula conjecit. Possevinum frigide, et cunctanter acceptum audivit non sine stomacho narrantem, quænam foret Romanæ curiæ sententia de regiis postulatis. Ille paulisper dissimulans, explicuit modeste ac fortiter, quam jure, quam necessario, quatuor ejusmodi capita non viderentur concedi posse. Auctoritatem et sapientiam Pontificis Maximi commendavit, admonuit Regem datæ fidei, et promissæ Vicario Christi obedientiæ; simul per quidquid erat sanctum obsecravit, ut animum adversus profanos metus confirmaret, neve causam religionis destituendo, æternum nomini suo dedecus, irreparabile suis exitium importaret.

Movit Regem oratio, non persuasit. Tantæ molis est veritatem contra politicas rationes tueri! Possevinus majorem vim habitura existimans quæ Regi coram exposuerat, si expendi per otium ab eo possent; scriptum exaravit, in quo momenta rationum quæcumque nutantem confirmare poterant, edisserebat. Legit Rex et vera dici confessus est; sed ita fit, cum animus cupiditate prava præpeditur, ut quanto veritas est conspectior, tanto sit odiosior. Itaque Rex Nuntium Apostolicum, cæterosque homines Societatis arcere cœpit

suo conspectu, et tamquam molestos interpellatores abigere. Patres aula et urbe parumper abfuerunt, dum æger animus mora et consideratione consuesceret. Occasionem etiam longius in vicinam insulam recedendi, coorta lues dedit. Quæ postquam remisit, in urbem redierunt ut catholici Jubileo, quem Pontifex concesserat fruerentur. Præivit omnibus Regina exemplo pietatis. Ab ea deinde in regalem, haud procul Holmia, villam educti, reliquum ibi annum exegerunt.

Anglicanæ Missionis occasio et initium.

Dum Religioni aditus in Sueciam intercluditur, idem aperitur in Angliam Societati. Hoc ut facilius intelligatur, pauca quædam sunt ex annalibus Angliæ repetenda. Henricus VIII Angliæ Rex, Annæ Bolenæ pellicis amore captus, Catharinam Aragoniam, Caroli V materteram, repudiaverat anno MDXXXIII. Ob id Clementis VII sententia notatus, se ab ejus communione suumque regnum divulsit, ac sibi Principatum Ecclesiæ Anglicanæ arrogavit; denique obfirmatus in schismate obiit anno MDXLVII. Tres habuit liberos: Mariam e Catharina, Elisabetham ex Anna Bolena, et Eduardum e Joanna Seymura, quam duxerat; Annâ ob adulteria, XVII Maii MDXXXVI, capite plexâ. Eduardum successorem testamento dixit, illique Mariam, Mariæ Elisabetham substituit. Sed Eduardus patri superstes annis tantum septem fuit. Ejus adhuc impuberis tutelam sexdecim proceribus mandaverat Henricus: Verum, ut rara

est inter potentes et pares concordia, potestatem summam invasit Eduardi patruus, homo Zuinglianus et Protectoris Angliæ titulum adscivit. Statim puerum Ecclesiæ caput in Anglia renuntiari jussit, et opera Thomæ Cramneri, nequissimi Lutherani, monstrum quoddam religionis, e Calvino et Luthero mixtum, conflavit. Ea nefarie molientem Dux Northumbriæ accusat perduellionis. Supplicio affectus pœnas impietatis dedit; nec ita multo post Eduardus obiit anno MDLIII. Regnum capessivit Maria, et arcessito Cardinale Reginaldo Polo, propinquo suo, Angliam Romanæ Fidei et communioni restituit. Erepta vivis est vix annis quinque ab inito regno transactis, MDLVIII. Elisabetha in ejus locum suffecta, revocavit hæresim, bellum immane catholicis indixit, neque in eos sæviendi prius, quam vivendi finem anno MDCII fecit. Illos mitius non tractavit Jacobus I Mariæ Stuartæ, Scotiæ Reginæ, filius degener. Multum de illa immanitate remisit Carolus I, Jacobi I filius et successor. Hæreticis tamen aperte cum faveret, sensit damno suo quam parum iis fidendum sit, qui debitam Deo, et Ecclesiæ fregerunt fidem. A suis condemnatus, et securi publice percussus est anno MDCXLIX.

Cum expulsa per Henricum VIII religio, revocari per Reginam Mariam cœpisset, Ignatius, in omnem divinæ gloriæ propagandæ, et servandarum animarum occasionem imminens,

P. Ribadeneiram in Belgium anno MDLV proficiscentem, explorare jussit num quis in Angliam aditus pateret? Omnia deinde comparare studuit, quæ opportuna tanto negotio conficiendo videbantur. Operi manus tamen admota non est, Ignatio sub idem tempus, ac paulo post Regina Maria de medio sublatis, Lainius qui regendam proxime post B. Patrem Societatem acceperat, eadem stimulatus cura P. Thomam Chingum, Anglum *, ex inferiore Germania submisit in Angliam anno MDLXIV, ut Catholicos clam solaretur et adjuvaret. Jamque proceres aliquot hæreticos Ecclesiæ reconciliaverat, cum sequenti anno, oppressus morbo decessit. Post restitutum Elisabethæ studio schisma, tanto impensius ad illud exstirpandum emicuit Societatis ardor, quanto gravius periculum apparebat. Hanc enixe vocabant Angli catholici, quorum vota detulit ad Summum Pontificem Guillelmus Alanus *, Anglus nobilis, Canonicus primum Ecclesiæ Eboracensis, deinde Cameracensis, postremo Cardinalis creatus a Sixto V. Angliam ille ab impiis vexatam deserere coactus, Belgium, Galliam, ac demum Romam petiit, ubique domicilia educandis juvenibus Anglis erigens, et spargens semina, e quibus catholica religio in plerisque Angliæ locis felicissime refloruit. Simul atque P. Everardus Mercurianus Societatis Præpositus Generalis quartus audivit constitutum ab eo * Duaci Seminarium lectissimorum adoles-

* *Hist. Soc. P. II. lib.* 8. *N.°* 99.

* *Ib. P. IV. lib.* 7. *N.°* 10 *et seq.*

* *anno* 1568.

centum numero, pietate, litterisque celebrari, laudavit egregium opus, eique promovendo annuum aureorum mille et ducentorum subsidium a Gregorio XIII impetravit. At Elisabetha probe intelligens quanto rei catholicæ præsidio et ornamento futura essent hæc Seminaria, ejiciendum Duaco Alanum cum suis alumnis curavit. Non despondit animum vir fortis, neque incœpto destitit. Profugit in Galliam anno MDLXXVII, et novum Remis in Campania Seminarium condidit; furente nequidquam Elisabetha, quæ Regem Galliæ Henricum III per litteras oraverat ne istos perduelles, et submissos ab Hispanis exploratores, in Angliam conjuratos, (sic innocentissimos adolescentes appellabat) sedem figere in Gallia pateretur. Henricus a Gregorio XIII admonitus, litteras, et preces impotentis feminæ contempsit.

Collegium Anglorum in Urbe.

Erectus successu Alanus majus quiddam molitur. Collegium Anglorum in urbe ipsa, religionis principe ac magistra, ponere constituit. Adjutore pii laboris et amico utebatur Audoëno Ludovico, Anglo, Referendario, ut vocant, Apostolico, et Archidiacono Cameracensi. Profectus ille Romam hoc anno, quid ceperit cum Alano consilii Papæ Gregorio significat. Nec pluribus verbis opus fuit, ut sanctissimum Pontificem stimularet, sponte sua quidquid ad religionis gloriam pertineret amplectentem. Erat Romæ domus, Anglis peregrinis in urbem confluentibus addicta, prope campum

Floræ. Placuit Gregorio ut hæc domus in collegium mutaretur. Præpositus collegio fuit Sacerdos Anglus eximiæ probitatis Mauritius Kolenokius : additi duo Societatis Sacerdotes, quorum alter pietati alumnorum, alter studiis eorumdem præesset. Constitutum etiam, ut omnes qui deinceps in Collegium istud Anglicanum admitterentur, jurati promitterent se sacerdotium suscepturos, decursisque litterarum spatiis in Angliam reversuros ad catholicam Fidem propugnandam. Alanus summopere cupiebat ut collegii administrationem Societas susciperet, idque ab Everardo Mercuriano enixe flagitavit. Novum onus diu deprecatus Præpositus Generalis, tandem illud jubente Pontifice, et ipsis alumnis postulantibus, subiit.

Neapoli Domus Prof.

Novum quoque, at utile onus suscepit Societas Neapoli, condita Professorum domo, quæ in urbe tanta desiderari videbatur. Ædes coëmptæ sunt in ea civitatis regione, quam sedem Nidi appellabant. Novum pariter e collegio Neapolitano juniorum fere Sacerdotum agmen, diebus festis in fora et compita prodiit, ubi oratione minime fucata, et plerumque extemporali, populum ad pœnitentiam et christianas virtutes cohortabantur. Conciones ejusmodi compitalitiæ annis deinceps consequentibus Neapoli, Romæ, aliisque in urbibus incredibili successu fuerunt frequentatæ. In eadem Provincia Neapolitana, domus Professorum Aletina in collegium conversa est *. At Mediolani

Collegium Aletinum.

* *vide annum* 1574.

cum inter gubernatorem urbis et sanctum Archiepiscopum Carolum Borromæum orta esset de jure administrationis controversia, inde aliquid invidiæ in Societatem et molestiæ redundavit. Ægre ferebat populus eximii Præsulis exactam et invictam in tuenda morum et Ecclesiæ disciplina firmitatem; et quia plurimum utebatur hominibus Societatis, serpebat rumor, pleraque ejus consilia et facta ab iis proficisci. Accessit inconsiderata concionatoris nostri vox, qui sancti Cardinalis acta visus est in gratiam gubernatoris, perstringere. Sed jussus imprudentis dicti veniam suppliciter petere, optimum Antistitem facile placavit. Hoc enim inter bonos dissidiorum ingenium est, ut exerceant, non minuant charitatem.

Collegium Ovietæ, et

In Hispania Collegium Ovietense fundavit Magdalenæ Ulloæ prolixa et sæpius experta liberalitas. Initio una tantum puerorum instituta est classis, cui aliæ deinde additæ. Interea resuscitatus Sacramentorum usus, et magno cum fructu in agros circumjectos excursum est. Pampilonense Collegium Joannes Pinierus, indidem oriundus civis, in lucem edidit; Franciscus vero Hurtadus, regni Navarræi Prorex, benigne promovit. Solebat hic dicere : indignum esse, ut terra Ignatii Xaveriique parens et altrix nullas eorum stirpes retineret, quorum in hac diœcesi exstabant incunabula, et ipsa civitatis arx, Loyolææ fortitudinis monumentum. Domus Professorum geminæ fundatæ

Pampilone.

sunt : una Valentiæ, in Aragonia, cui Præpositus fuit Hieronymus Domeneccus, ille qui primos Patres Lutetiæ cognitos habuerat; altera Hispali, in Bætica, ubi veteres Collegii ædes novumque templum occupavit; dum in recentes ædes transmigraret Collegium, censibus annuis a civitate muniendum. Domus Prof. Valentiæ, et Hispali.

Longe lateque procursum est in Gallia, per Aquitaniam et Vasconiam, aliasque provincias; accidit in frequenti pago quiddam similiter atque olim Neocæsareæ, S. Gregorii Thaumaturgi tempore : cum tres numero Catholicos reperissent, plane tres modo Hæreticos discedentes operarii reliquerunt. Miro inde Collegii desiderio Dolana civitas succensa est; idonea in Urbis regione domum areamque, ad exstruendum templum magno statim pretio coëmerunt cives : supplices litteras hinc ad Pontificem, illinc ad Regem dederunt; ita demum certarunt, ut initium Collegio nonnullum factum sit. Primordia Collegii Dolæ.

Divinam suspicere Providentiam licuit in Evangelio Mogolibus inferendo. Latissime patet Imperium Magni, ut vocant, Mogolis, veterem Indiam complectens, et Tartariam a Septentrione spectans; Sinam ab oriente; ab occasu Persidem; Peninsulam Indicam a meridie. A Tamerlane sub finem sæculi XIV fundatum narrant. Illi præerat hoc anno Acbenus, sive Echbarus cognomento magnus, nec indignus eo titulo, sive prudentiam Socii ab Imperatore Mogolum vocantur.

artemque gubernandi spectares, sive fortitudinem et excelsitatem ingentis animi, sive demum felicitatem. Is Mahometanam legem, quam vulgo Mogoles amplectuntur, despiciens, ut erat sagacissimus, Christianam e nonnullo cum Lusitanis usu cognitam, vehementer probabat, nactusque Sacerdotem, virum bonum, studuit eam ex illo plenius cognoscere. Multa dixit Sacerdos pius magis, quam eruditus, quæ Echbari famem accenderent potius, quam explerent : sed addidit posse Regem rescire plura e Patribus Sancti Pauli (sic Patres Goani collegii populus, ut ante diximus appellabat). Continuo Echbarus legatum mittit Goam, qui Patres arcessat. Tres lecti sunt Sacerdotes, Rodulphus Aquaviva, Antonius Monserratus, et Franciscus Henricius, natione Persa. Damano idibus Decembris profecti, Surratum, arcem Mogolis in regno Cambaiæ; inde urbem Fatepuram, ubi Rex plurimum degebat, pridie Calendas Martii anni MDLXXX attigerunt.

Excepti benignitate summa primum omnium ædiculam construxere, quam Rex invisens, calceamenta deripuit, honoris ergo; deinde disputationem instituit, convocatis Mahometanorum præcipuis Mulassis (ita sacrorum suorum præsides vocant) qui fracti, victique prorsus obmutuerunt. Illos urgebat acriter Aquaviva, cum flagitaret : ut docerent Mahometem vere prophetam esse? Neque enim, inquiebat, cuicumque quidvis de se

affirmanti credendum est. Quin ipsemet de se peccatorem se, atque ethnicum fuisse confitetur; Christum vero peccati omnis immunem, et e virgine procreatum, affirmat. Idem Christianam legem collaudat : necesse igitur est veram esse; at si vera est, falsum esse Alcoranum efficitur, quem illa condemnat. Hæc audiebat Rex non invitus, sed voluptatum laqueis, et amplius centum concubinarum, consuetudine irretitus, totos etiam dies edendis spectaculis intentus, nihil in animum penitus demittebat. Fecit tamen potestatem, ut qui vellent fieri Christiani, id iis liceret impune; unumque de suis liberis edocendum Patribus dedit.

Rex Arimæ in baptismo Protasii nomen sumit.

Plus fecit Arimæ Rex in Japonia : non tantum suos, sed seipsum Christo et Ecclesiæ dedit. Diu suspensus, et inani quo bona consilia disturbantur metu præpeditus, negotium salutis, unum illud necessarium, distulerat. Tandem Bartholomæi, Regis Omuræ objurgationibus et P. Alexandri Valignani, qui recens in Japoniam visitator accesserat, cohortatione victus, morem vocanti urgentique Deo gerere decrevit. Constituta jam regali baptismo dies erat, cum tristem felicibus cœptis moram improvisus hostis objecit. Riozoges, Dynastes opibus et amicis pollens, latiusque imperitandi avidus, in Arimense regnum cum ingenti exercitu impetum fecit. Rex imparem se hosti sentiens, furentem retardare propositis concordiæ

pacisque conditionibus tentavit. Prius tamen sacro fonti subjecit caput, ac Protasii nomen sumpsit, haud dubitans Deo suas res curæ fore, si se totum in ejus fidem, tutelamque contulisset. Neque optimum Principem Divina bonitas frustrata est : Riozoges propositas pacis conditiones audivit, et Regi Protasio spatium ad se confirmandum dedit. Magna pars tanti operis et concordiæ compositæ P. Valignanus fuit, qui Japoniam ingrediens hunc ejus statum invenit :

Religionis status in Japonia.

Nobunanga, maximus Regum Japoniorum cæteris longe antecellebat. Post Nobunangam plurimum poterat Morindonus. Tum Franciscus Rex Bungi, christianus ; itidem ut Omuræ Rex Bartholomæus ; qui sublato penitus idolorum cultu ad quinquaginta Christianorum millia numerabat. Ad eos excolendos Socii tribus in domiciliis degebant : Nangazachii, Omuræ, atque Cori. Rex Arimæ duodecim tantum in Christi grege millia censebat, quorum pars major in portu Cocinoci, ubi Societatis sedes. In urbe Firando Sacerdotes duo agebant, inde in insulas dynastarum Joannis et Antonii excurrere soliti, et tria fere nominis Christiani millia curare. Amacusa insula non longe distat a Cocinoci portu ; ejus insulæ primarius Tonus (ita gubernatores vocant) cui Michaëlis nomen baptismus fecerat, tres habebat secum homines Societatis. Duo versabantur in arce Fondi. Tres in urbe Facata. Funaci vero et

Usuquii (oppida sunt regni Bungensis) duo domicilia Societatis; alterum collegii, alterum vice Domus Probationis fungebatur. Statio Meacensis alias, ut dignitate, sic utilitate superabat.

Annus Christi 1580 : Societatis 41.

Pietatem et Fidem inducere ac fovere in Japonia facilius erat quam eamdem reducere ac refovere in Anglia. Jam quidem ingens ad salutem Anglis paulatim afferendam præsidium constitutum Romæ fuerat, erecto Anglorum Seminario. Longum tamen videbatur dum adolescentes in illud accepti, eam consequerentur ætatis maturitatem ac perfectionem litterarum, qua instructi, et in patriam reversi, populares suos adjuvarent. Itaque Patribus visum est expedire ut e nostris aliqui provectæ jam ætatis et probatæ prudentiæ submitterentur ad sternendam adolescentibus viam, et operis tanti primordia designanda. Hoc negotium demandatum P. Roberto Personio, et P. Edmundo Campiano; viris pietate, sapientia et eruditione præstantibus. Additur utrique Rodulphus Emersonus, rei domesticæ adjutor, multis et ipse magnisque virtutibus insignis. Ad primos expeditionis sacræ rumores infremuit Elisabetha. Exploratores in portubus, littoribusque geminavit. Personii et Campiani vultum in Londinensibus compitis proposuit, ut facilius agniti comprehen-

Angliam ingrediuntur

Personius et Campianus.

derentur ac necarentur. Ambo mutatis vestibus, et via diversa, incolumes tamen Londinum tenuerunt; prior autem Personius.

Duas opiniones, et controversias, quæ catholicos Anglos in contrarias veluti factiones scindebant ante omnia componendas arbitrati sunt, ut omnes, ac præcipue Sacerdotes conjunctis viribus animisque validius in tuendam religionis causam incumberent. Prima controversia erat de jejuniis quibusdam observari solitis certis in locis Angliæ præter communem Romanæ Ecclesiæ usum : quæ nonnulli a S. Augustino, illo Anglorum Apostolo, inducta, et retinenda omnino contendebant : aliis contra satis esse pugnantibus si Romanæ consuetudo Ecclesiæ servaretur. Altera controversia spectabat hæreticorum templa, quæ cum adire Catholici juberentur, gravissimis pœnis in recusantes constitutis, aliqui fas putabant esse servire paulisper tempori, modo declararent nequaquam id a se fieri hæreseos profitendæ vel approbandæ causa, et periculum abesset spiritualis exitii. Ut hæc gemina lis et controversia decideretur placuit quam maximum undique numerum Sacerdotum colligere. Rogatis sententiis, post causam omnem diligenter expensam constitutum fuit : jejunandi certis præter usum Ecclesiæ Romanæ diebus consuetudinem, in iis ubi vigeret Angliæ provinciis conservandam : non item in aliis. Adire vero templa hæreticorum nemini fas esse.

Interim cum fama de adventu Patrum, et aliorum aliquot Sacerdotum catholicorum increbresceret; Regina illos edicto publico declarat reos læsæ majestatis, proditores, conspirationum et seditionum architectos : jubet ubique investigari, et ad judices pertrahi. Quibus auditis, Campianus edito scripto docuit cur venissent, et quam longe ab impositis criminibus abessent. Addidit Personius uberiorem Societatis defensionem, et calumnias adversariorum refutavit. Tutius tamen visum ut recens advecti Sacerdotes Londino discederent, et alii alio demigrarent, ad vitandas facilius insidias, in quas duo e nostris Jac. Bosgravius, et Thomas Cottamus hoc anno inciderunt.

Bosgravius et Cottamus comprehensi

Bosgravius ex Anglicana familia nobili ortus, extra insulam enutritus ab ineunte ætate fuerat. Societatem amplexus in Polonia, et Sacerdos creatus, redibat valetudinis causa in patriam, eorum quæ in ea gerebantur, non admodum gnarus. Interrogatus in ipso portu, paratus ne esset inire solita frequentari a populo templa? cum nihil subesse fraudis interrogationi dolosæ crederet : respondit quod a populo fieret, se quoque non dubitanter facturum. Verum admonitus quo consilio hæretici catholicos ad sua templa compellerent, convenit illico Episcopum, professusque se non posse, salvis conscientiæ ac pietatis legibus, iisdem cum populo sacris ac templis uti, conjicitur in vincula.

P. Thomas Cottamus Romæ cooptatus in Societatem, et patriam repetere coactus ut e morbo revalesceret, in ipso aditu a proditore detectus, et amico nobili traditus veluti in custodiam fuerat, qui eum Prætori Londinensi, cum foret opus, repræsentaret. Cottamum ille dimisit liberum, nefas existimans creare periculum innocenti, ac futurum sperans nihil ut inde oriretur gravioris mali. Aliter ac putabat, evenit. Repetitur ab eo semel iterumque Cottamus, pœnæ graves intentantur, nisi eum sistat ad dictam diem. Quod ubi cognovit Cottamus, ultro se judicibus obtulit, ut fidem a vade suo datam liberaret. Quid illo deinde et Bosgravio factum sit postea memorabitur.

Hæc fuerunt primordia Missionis laboriosæ, quæ magnis aucta incrementis, tot Ecclesiæ martyres, tot heroas Societati nostræ dedit. Non idem in Suecia Missionis exitus et Pontificiæ legationis fuit. Possevinus, operam inanem in Rege Sueciæ sumi videns, ad ejus filium Sigismundum, itemque Reginam in vera fide confirmandam totum se convertit, ac tantum in utroque profecit ut religio catholica, fremente nequicquam Rege in ejus oculis veluti triumpharet. Ipse contra catholicorum deprimere partes, et ab iis filium avellere laborans, cogebat illum Lutheranis concionibus ac profanis ceremoniis interesse. Morem aliquandiu Princeps adolescens, licet invitissimus gessit. Verum ubi audivit a Matre quanto periculo suo

Rex Sueciæ Pontifici datam fidem fallit.

piaculoque fieret, rogavit Regem ut alia deinceps in re obsequium filii probaret. Instanti demum et urgenti renuntiavit malle se regno et vita privari, quam ejusmodi flagitio divinam legem violare. Excanduit Rex, et verbis male acceptum dicitur, impacta ori vola, percussisse. Inde ira in Patres, a quibus ea proficisci consilia suspicabatur. Exilium, vincula, necem ipsam comminatus, alias ex aliis molestiis ipsis quotidie creabat, quibus diu macerati, nequaquam ultra pugnandum censuerunt, ac discedendi facultatem haud ægre impetrarunt. * Quamvis autem magnum e Regis inconstantia, et meticulosa imbecillitate dolorem ceperint; multa nihilominus vehementer ipsos consolata sunt. Primum institutio Principis Sigismundi, in quo Rex Poloniæ futurus formabatur; deinde ipsius matris Catharinæ constans in professione veritatis animus, quem in ipsa morte, triennio post, anno MDLXXXIII obita, significavit, cum Regem ad partes erroris deserendas hortari non cessans, interminata est, ni faceret, futurum ut regnum Sueciæ ab ejus familia in qua tot annos steterat, ad alienos Principes transiret, uti reipsa contigit. Nec leve factum est operæ pretium in Suecis catholicis contra grassantem Lutheri pestem muniendis, ac præcipue sacris monasterii Vastenensis virginibus quæ inter spinas hæreseos lilium candidissimum Fidei constantissime retinuerunt. Adde libros utiles lingua Suecorum vernacula per

Possevinus e Suecia discedit.

* *die* 10 *Augusti.*

Fructus ex missione collecti.

populum sparsos : refutatum Davidem Chytræum Lutherani agminis primipilum : adductos denique ad ecclesiam duos Principes Tartaros, e Chersoneso Taurica, quæ vulgo Tartaria Præcopensis vocatur, legatos ad tractanda quædam patriæ negotia cum Suecis. Rex nondum bene cognitos et suspicans exploratores in custodiam dederat. Dum expenditur eorum causa et legatio, Possevinus utrumque erudivit, perfecitque ut Sacramento expiati, et omni sinistra suspicione absoluti, cum honore in patriam remitterentur. Post discessum P. Antonii Possevini remanserunt apud Reginam tres e nostris : P. Stanislaus Varsevicius, palam ; alii duo, clam. Moriens Regina obtinuit a Rege ut P. Simonem Nicovium regendæ Sigismundi adolescentiæ præfici pateretur. Subrogatus Nicovio P. Bernardus Colinius, eumdem obtinuit locum, et hæreticorum nefaria consilia sæpe retardavit, iis enim sese Rex totum, post mortem Reginæ, dedidit, identidem nihilominus promittens, jactansque se in fide ac potestate Romani Pontificis futurum, si concederentur ea quæ ab ipso postulaverat. Habuit Societas exiguam sedem Holmiæ, ad annum usque MDXCI cui P. Humbertus Leenius præerat. Hæc, illo exstincto, concidit.

Missio ad Maronitas feliciter redintegrata

Melius respondit Summi Pontificis exspectationi et votis Missio ad Maronitas, quæ feliciter anno MDLXXVIII inchoata, felicissime isto redintegrata, et peracta est. Delecti a Gregorio Pontifice

Patres Joannes Baptista Elianus, et Joannes Brunus, Tripolim Phenicię tertio Calendas Quintiles attigerunt. Inde progressi ad Patriarcham, Synodum indixerunt, quæ anno sequenti est habita. In ea pallium, a Pontifice missum, faustos inter populi plausus accepit; edita palam est ab omnibus Fidei professio, conditi canones, recogniti rursum et emendati libri, munera Pontificia distributa, magnus sacrorum calicum, et ornamentorum numerus, item voluminum Arabice conscriptorum oblatus, nummi etiam in egentem plebeculam divisi. Ad extremum tota diœcesis a Patribus lustrata. Damascum, absoluta Synodo, profecti, Maronitas ibi degentes excoluere. Antiochenum quoque Patriarcham Græcorum convenerunt : sed cum ille nihil spei ostenderet, P. Elianus Menaphim perrexit; Brunus Romam, ut Pontificem edoceret. Qui postquam pietatem Maronitarum et in Romana Fide constantiam accepit, illis collegium postea in urbe dedit *, quod a Sixto V, Gregorii successore Societatis curæ commissum est.

Collegium Maronitarum in Urbe, * *anno* 1584.

Expeditio Mogolica, non abrupta penitus, sed parumper interrupta fuit. Patres audiebantur sæpe ac libenter ab Imperatore; nosocomium, eo vehementer probante, ac sumptum suppeditante, construxerant, scientiam salutis populo tradere instituerant, cum gravem universæ nationis invidiam susceperunt. Vigebat apud Mogoles e priscis Indorum moribus ducta consuetudo, ut uxores in

E Mogolis Imperio revocantur PP.

virorum mortuorum rogum se conjicerent, eodem busto consumendæ. Ad aliquod ejus generis spectaculum Rex Patres invitavit, multum commendans fidem constantiamque feminarum. At illi morem impium et lege tum naturali, tum Christiana, vetitum condemnarunt; peccare graviter ipsum regem testati, si hunc permittere, si probare pergeret. Movit omnibus admirationem libera vox; ethnici palam conclamarunt, antiquas leges, et pulcherrimam consuetudinem a peregrinis doctoribus iniquissime convelli. Mahometani, quorum ingens illic numerus, opes immensæ, auctoritas formidanda, odium populi vehementius inflammarunt. Ferre non poterant Evangelii præcones, qui Christum Dei filium esse, Mahometem vero sacrilegum præstigiatorem, affirmarent. Nec obstabat quidquam, nisi Regis patrocinium, et apertus favor, quin Patres ab improbis lacerarentur. Has inter salebras parum religionis causa procedebat. Quod ubi rescivit Indiæ Provincialis, nostros inde avocare constituit, ac paratiorem in messem inducere. Id enixe postulabat P. Rodulphus Aquaviva, martyrii avidus, cujus consequendi majorem alibi fore sibi facultatem sperabat. Hunc sibi eripi præcipue doluit Imperator : nam Rodulphi virtutem egregiasque dotes venerabatur, et amabat. Dolorem suum eo consolatus est, quod Patres redituros se promiserint statim atque illa popularis invidiæ flamma refrixisset.

Martyrii palmam, cujus cupiditate Rodulphus flagrabat, videntur assecuti PP. Georgius Fernandius et Gomes Amaralius. Molucas petebant, cum illorum navim barbari, quamvis amicitiam verbis professi et incolumitatem polliciti, hostiliter invaserunt, multisque trucidatis, ipsos crudeliter peremerunt, dum audiendis vectorum confessionibus erant occupati. PP. duo a barbaris cæsi.

Non barbarorum armis, sed nefaria indigenarum conspiratione Belgium laborabat. Hinc gemina religionis labes: prima quidem, vastitas templorum, cœnobiorum direptio, rerum sacrarum contemptus : altera vivendi quædam et sentiendi licentia. Per hanc licentiam opiniones Michaelis Baii, a Pio V Pontifice Maximo damnatæ, et silentio atque oblivione propemodum sepultæ, reviviscere, ac renasci cœperant. Sacras litteras Baius docebat Lovanii, et S. Augustinum novies legisse integram jactabatur. Sed ut e floribus interdum venena colliguntur, ita Baius e Doctoris Gratiæ libris perperam intellectis, nonnullas propositiones hauserat, affines veterum Prædestinatianorum erroribus : Earum sex et septuaginta Pius V confixerat. Cum vero glisceret malum in dies latius, P. Franciscus Toletus a Gregorio XIII missus in Belgium est, ut ingravescenti morbo faceret medicinam. Toletus pro sua eruditione ac prudentia Baium eo perduxit, ut palam damnaret doctrinæ suæ capita, quæcumque fuerant a Baius suos errores damnat, ope Fr. Toleti.

Summo Pontifice notata : Doctoresque Lovanienses sancte confirmarunt, se nihil unquam ejusmodi suis in scholis tradituros.

Collegium Friburgi in Helvetia,

Non leviori, quam Belgæ, in periculo versabantur ob Hæreticorum viciniam Helvetii catholici. Quibus consulere cupiens Gregorius XIII negotium dedit suo in Germania Nuntio, Episcopo Vercellenci, ut eorum pagos diligenter lustraret, illosque a vicinorum pestifera contagione defenderet. Nuntius Apostolicus omnia contemplatus diligenter, ac præsertim Friburgensium juventutem miseratus, quæ Bernam, Lausanam, et Genevam adire studiorum causa cogebatur, significavit Pontifici nihil fieri præstabilius posse, quam ut Societatis collegium Friburgi poneretur. Consilium probavit Pontifex, ac statim beneficium ecclesiasticum fundando collegio attribuit. Hostes religionis in Helvetia partim occulti partim aperti Societatem probris et calumniis deformare, atque ab illa Friburgenses abalienare conati sunt. Vocatus est P. Petrus Canisius, notum et illustre in Germania tota nomen. Ubi primum conspectus Friburgi fuit, offusam civium oculis caliginem, vitæ innocentia, doctrinæque luce, discussit; omnesque ita sibi demeruit, ut illum per annos septem et decem, quamdiu fuit superstes, numquam a se divelli passi fuerint, et ultimum in eorum veluti sinu spiritum ediderit. Canisius hoc ipso anno, cum accitus est Friburgum, properabat Norimber-

gam, ubi conventus super gravissimis negotiis ad religionem præcipue spectantibus habendus erat, et cui adesse illum cum Episcopo Brixiensi, Pontifex jusserat. Ibi, dum conventus differtur, primordia collegiorum Molshemiensis, Confluentini, et Paderbornensis, auctoritate sua consiliisque adjuvit. Duo priora collegia Præsules duo egregii: Argentoratensis Molshemiense; Trevirensis Confluentinum, fundavere. Tertium conditores habuit Canonicos Paderbornenses. Magnam postea Collegio accessionem fecit Theodorus Furstembergius, anno MDXCVI Episcopus Paderbornensis; cumulavit vectigalia, anno MDCIV in eoque academiam instituit, quæ disciplinarum omnium, a Societate tradi solitarum universitatem complecteretur, anno MDCXIV.

Molshemii, Confluentiæ, Paderbornæ.

Cardinalis Borbonius Domum Professorum instituere Parisiis jamdiu meditans, ædes ubi poneretur, in loco urbis opportuno coëmit. Amplam ibi charitatis et patientiæ materiam habuerunt Socii. Incubuerat enim urbi pestilentia, et miserrimam edebat stragem. Suam ultro civibus operam obtulerunt. Duodecim delecti fuere, quorum sex in ædibus Professorum, totidem in collegio domi et foris operam poscentibus darent. Nonnulli, velut acies subsidiaria, sepositi ut præsto essent, si quid gravioris instaret periculi: utque succederent in eorum locum, quos pretiosa mors in hac arena charitatis opprimeret.

Parisiis Domus Prof.

Collegium Polocense,

Alia pestis partem Lithuaniæ atque Illyrici pervastabat, eo tetrior quo animorum morbi graviores sunt quam corporum. Polocensem Ducatum Rex Poloniæ Stephanus Bathorius, pulso Moscoviæ duce, receperat; eumque omnem tractum expertem religionis, aut Schismate Græcanico inquinatum esse intellexerat. Nihil moratus, eo ipso die, quo in arcem hosti ereptam ingressus erat, ex castris ad Vilnensis collegii rectorem litteras dedit, quibus jubebat ut Socios quamprimum Polociam induceret. Gregorius pariter XIII, cum e Cardinali Morono, nationis Illyricæ patrono, ejus pericula cognovisset, quippe quæ pietatem ægre inter Turcas, Hebræos, Schismaticos, Græcos, et promiscuam hæreticorum colluviem, retinebat, paucis qui depellerent inscitiam sacerdotibus, eo commeantibus; collegium Romæ Illyricum erexit, ut ex eo Sacerdotum deinceps copia, populo erudiendo, peteretur. Præpositum Generalem onus regendi collegii suscipere cunctantem Pontifex his verbis perpulit : « *Quos disperso eratis cum labore quæsituri, vobis tradimus congregatos : in exiguo adolescentum numero totam gentem excolitis, et e semente non magna messem longe maximam præparatis.* » Sedes collegii posita primum fuit Laureti, cui objacet Illyricum, in sinus Adriatici littore opposito, et ita vicino, ut e Lauretanis collibus montes Dalmatiæ conspiciantur. Post aliquot annos, MDXCIII, translatum est

Illyricum,

Romam : postea tamen Laureto redditum anno MDCXXVII, ab Urbano VIII atque amplificatum. Provinciæ Siculæ Drepanitanum accessit, accitu civitatis, patrocinio ac studio Nicolai Barlottæ, et Mariani Mongiardini, ex urbis primoribus. Drepanitanum.

Tot collegiis rite formandis intentum Præpositum Generalem Everardum Mercurianum acuta febris abstulit, quarto Nonas Sextiles, anno post susceptum Societatis regimen, octavo; ætatis autem sexto et sexagesimo. Natus erat Mercurii, (vulgo Marcourt) pago in extremis Ducatus Luxemburgensis partibus, versus Belgium sito; ex parentibus eo in loco primariis, at non opulentis. Habitus est omnium judicio vir apprime prudens, interioris pietatis gnarus, et ad gubernandos homines eximia præditus indole. Has dotes insigniter adhibuit in collegio Perusino, cui primus præfuit; deinde in Belgio, ubi Commissarii et Provincialis partes egit; in Assistentis pro Germania et Gallia munere, quod annos admodum octo gessit; demum in regenda tota Societate. Quas præcipue dotes requireret in Superioribus docet ipse in sua quadam ad P. Emmanuelem Rodericium, Lusitanæ provinciæ Præpositum, epistola. * Curandum, ait, ut intelligant subditi nihil aliud quæri a suis Præsidibus quam divinam gloriam, et utilitatem animarum sibi commissarum : demonstrandam æqualem omnibus benevolentiam, imperfectis oblivionem præteritarum culparum, et Obitus R. P. Mercuriani.

* *Hist. S. J. p. IV. l. II. n.° 25.*

spem emendationis : fugiendam suspicionem calliditatis ; hæc enim opinio fiduciam infringit, qua vir religiosus totum se paterno sui rectoris animo debet committere. Curandum ut inferiores probe norint leges tum communiter, tum proprie sibi positas ; reposcendam identidem earum rationem a singulis ; removendos obices ; adminicula subministranda ; in primis alendum in illis verum et ardens in spiritu proficiendi desiderium, et conatus adjuvandos.

Hæc Everardus Superioribus commendabat : nostros vero universe hortabatur ne se alienis ab Instituto negotiis admiscerent, in quibus videlicet tractandis promissum divinitus opem non haberemus : in aliis eam rationem tenendam suadebat, ut primum communicarentur cum Deo in oratione ; deinde cùm hominibus, quos consilii capiendi causa Rectoribus domorum ac provinciarum Societas assignat. Pedetentim et caute intrandum in negotia, ne quid offendatur in limine, quod emendari non ita facile possit. Ipse ad res momenti majoris cum viris Principibus præsertim agendas, nisi diu multumque meditatus, et præparatus, non accedebat. Sic nulla vox illi per impotentiam, aut animi effervescentis impetum, in congressu medio ac veluti conflictu, excidebat. Quæ modestia, et sui semper compos gravitas, mire omnes illi demerebatur. Quamvis Latinis, Græcis, Hebraicis, divinis, humanisque litteris esset instructissimus,

cavebat sedulo tamen, nisi res cogeret, ne quid emanaret ad inanem famam. Rebus ad vitæ usum homini religioso concessis utendum dicebat, perinde ac si novo continenter beneficio illas divina manus largiretur : nam earum jus voto abdicatum; itaque grato et pio animo, parce ac moderate, usurpandas. Novitios, dum recenti pietatis igne succensi, tractabilesque sunt, volebat non tam macerari corpore, quam animo subigi; ut cupiditates haberent probe domitas, et ad levissimum imperantis Præsidis nutum succincti essent, quamvis improvisa et ardua juberet. Magistros vero novitiorum illuc intendere volebat curam, ut Instituto Societatis apprime cognito, singulos tirones cognoscerent, et ad consentaneam Societati perfectionem non eadem omnes, sed propria quemque via ducerent.

Justis Præposito Generali persolutis, renuntiatus est Vicarius Generalis P. Oliverius Manareus : qui Ordinis comitia indixit in diem octavum Calendas Februarii, anni sequentis.

Insigniores PP. hâc ætate

Everardi Mercuriani ætatem, virtute, doctrina, rebus gestis illustrarunt Adrianus Adriani, laude prudentiæ in regendis pœnitentium animis clarus; in adolescentibus ad virtutis perfectionem excitandis, et, si qua norat idoneos, ad vitam religiosam adducendis, magno religiosarum familiarum bono. Alexander Villaregius, qui primus e Japonia Romam venit, dignusque habitus multa

pro nomine Jesu in Europa, Asia, et Africa non solum facere, sed etiam pati. Alexander Valignanus, Provinciæ Societatis Indicæ Visitator, cui Japonia et Asia reliqua tantum debet quantum, haud suo post S. Franciscum Xaverium, nemini; cujus probitati ac prudentiæ tanta tribuebat Aquaviva, ut ad eum aliquando scripserit his verbis; cum in Oriente versaris, isthuc me versari puto: Societatis partem tibi demandatam, non ego melius, nec Societatem universam tu ipse, si esses hic, deterius gubernares. Aloysius Froëz gravibus periculis in Japonia fortiter perfunctus. Aloysius Grana, non leviora perpessus inter Brasilos. Alphonsus Lopius a Mauris cæsus. Andreas Oviedus Æthiopiæ Patriarcha, laboribus, virtutibus, miraculis, nobilitatus. Antonius Araozius, Societatis in Hispaniam inducendæ auctor præcipuus, et Apostolica dicendi facultate, ac præstanti prudentia strenuus adjutor. Antonius Possevinus, Catholicæ religionis egregius defensor, quam in Italia, Gallia, Germania, Polonia, Suecia, Moscovia, legationibus, scriptis, negotiorum ingentium felici administratione, propagavit, illustravit, et propugnavit. Balthazar Alvarez, virtutis suæ, vulgarem longe modum egressæ, testem minime suspectum et præconem nactus S. Theresiam, cujus conscientiam regebat. Consalvus Cardosus, Abassynorum Ecclesiæ columen dictus, inter quos similem martyrio mortem obiit. Ferdinandus Garzia

cujus insignem in cœlo gloriam mortalibus demonstratam narrant. Franciscus Capralis indefessus in Japonia operarius. Franciscus Gomius, de cujus virtutibus tanta erat opinio, ut eas omnes complexus, ut paucos pares, superiorem vix habere quemquam diceretur. Franciscus Goveanus annos quatuordecim apud Regem Angolæ habitus in custodia, ut religioni et christianis consuleret, in eaque fortiter mortuus. Fulvius Androtius et publicis, et privatis virtutibus clarus. Georgius Ferdinandus, et Gomes Amaralius a barbaris, dum confessiones Christianorum excipiunt, in Moluco cæsi. Hieronymus Natalis, cujus prudentia, et in agendis rebus sagacitate, plurimum usus est S. Ignatius ad promulgandas variis in locis Constitutiones, et inducendam in mores propriam Instituti nostri rationem. Christophorus Madridius, quem tanti pariter Ignatius faciebat, ut minus commoda utens valetudine, curas regendæ Societatis cum illo divideret; una cum P. Joanne Polanco, quem Instituti nostri peritia et ejus legibus consentanea prorsus vita, dexteritas in tractandis negotiis, et in eorum strepitu tranquillitas B. Patri, Lainio Borgiæque utilissimum et carissimum fecerant. In Jacobo Cerruto multa et magna merito laudaveris; unum doles, quod immatura morte sub tertium ac trigesimum ætatis annum sublatus, curriculum tam breve perfectæ virtutis, ac vitæ habuerit. Non levius factum est damnum

anno MDLXXV, in Jacobo Ledesma, in quo sic religiosæ virtutes cum præstanti doctrina certabant, ut qua parte major esset difficile statueres. Geminam hanc laudem pariter sunt consecuti Joannes Harlemius, Joannes Polancus, et Joannes Maldonatus. At Joannes Ximenius in Coadjutorum temporalium infimo gradu, ad summum virtutis gradum evasisse merito creditus est. Ludovicus Consalvius in aula Lusitana, non secus atque in cœnobio versatus, nullam ex aulico fumo labem traxit. Martinus Gutterius singulari pietate in B. Virginem clarus, Societatem sub ejus chlamyde protectam vidit. Petrus Canisius præclarum illud præsertim Germaniæ lumen, Petrus Ribadeneyra, Robertus Personius, complures annos Ordinem nostrum illustrarunt, nec non Simon Rodericius, unus e novem B. Patris primis sodalibus, qui supremum sub Everardo annum MDLXXIX habuit.

FINIS LIBRI SECUNDI.

NOTA. *Hic desinit Pars IV.* HISTORIÆ SOCIETATIS JESU *conscripta a* P. FRANC. SACCHINO.

INDEX

ET SERIES RERUM

Quæ in Tomo secundo continentur.

Annus.		Pagina.
1557	Dilatio 1.ae Congregationis, et hinc enata turbatio. . .	1
	S. Franc. Borgia Societatem apud Carolum V defendit etc.	4
	Wormatiæ, Aug. Vindelicorum, Oeniponte defensa religio.	10
	Fausta res in Firando — primum Martyrium.	12
1558	LAINES, in 1.a Congregatione, Præpositus Generalis secundus eligitur — Constitutiones approbantur . . .	15
	Chorus et Generalatus triennium, quamdiu viguerint .	18
	Tres in Italia Provinciæ	22
	Coll. M. Politiani, Forolivii, Nolæ, Montellis, Toleti, etc.	23
	Res Gestæ in Polonia — Canisius.	26
	P. Villela Meacum subit. — P. Beiræ pericula, in Indiis. Baccianensis Regulus baptizatur	29
	P. Alphonsus De Castro a Mahometanis occisus . . .	30
	Res Brasiliæ — Illi frustra Calvinus imminet	31
1559	Africana expeditio. — Cafrorum Regulus baptizatur.	32
	Res Angolæ — Imperator Abyssinus in Christianos sævit.	35
	Mors P. Barretti — Religionis augmenta in Indiis . . .	37
	Societas in Comitiis Augustanis etc. — P. Canisii opera.	38
	Collegium Augustæ, Treviris, Monachii, Lucronii, Segobiæ, Palentiæ, Bracari, Portùs, Brigantæ — Domus Tusculana	41
	Bartholomæus a Martyribus	44
	Aditus in Sardiniam — Collegium Sassaritanum . . .	46
1560	Calumniæ in Borgiam qui Romam vocatur a Pontifice .	49
	Commissarii munus extinguitur a Lainio — Actum fuit de Lainio in Pontificem eligendo	50
	Pius IV Societatem adhibet ad varia opera, Romæ, in Calabria, in Samnio, Annecii, in Cypro, et Dalmatia.	51

Annus.		Pagina.
	Collegia in Valle-Tellina, Comi, in Monte regali, Tusculi, Pamiæ.	56
	Acta a Pelletario, Rogerio, Codretto, et Augerio . . .	58
	Collegium Turnoniense - Parisiis, laboriosa incrementa.	61
	P. David Wolfius in Hibernia	63
	Goæ templum S. Paulo dicatum. - Multorum conversio.	64
	P. Mesquita, durissime habitus, at liberatus	66
1561	Prima sedes in Salsettis — Excursio in Suratam . . .	67
	P. Pelletarii mors — P. Edm. Augerius et Collegium Turnoniense, graviter periclitantur	69
	Tirnavia deseritur — Collegia Oeniponti, Moguntiæ, Maceratæ.	72
	Deseritur Mons-Politanus ob calumniam fœdissimam. .	74
	P. Hier. Natalis in Hispania Visitator — qua ratione. .	75
	Collegia Brigantinum, Majoricense, Madritense . . .	76
	Collegium Parisinum — et Societas stabilita	77
	P. Lainius Pisciaci et Lutetiæ	78
	Missio ad Cophtos.	82
	Monomotapæ Rex baptizatur — P. Sylveria necatur. .	83
	Insignis Bonzii conversio, insigni fructu	85
	Sacaiani ad Fidem conversi, et Insula Taparica . . .	86
1562	Revocantur Tridentum Patres — Iter Lainii per Belgium et Germaniam, etc.	89
	Quis Lainio detur locus in Synodo — Ejus dicendi vis .	92
	In Galliis, pericula, labores et fructus	93
	Antonius Possevinus Lugduni periclitatur	94
	P. Augerius ad patibulum ductus, etc. — Ejus fama. .	95
	Tolosani et Rhutenensis collegii initia	98
	Parisiis cum tribus aliis P. Passchasius Broëtus peste ablatus. — Ejus dotes, et S. Ignatii de illo judicium .	100
	Scotiæ succurrunt Patres. — P. Nicolaus Gaudanus . .	101
	Res gestæ apud Cafros — In Japonia felix Almeidæ labor.	104
	Saxumæ, Omuræ, Arimæ reges instituuntur	106
	Progressus in Molucis, Mauricis, aliisque insulis . . .	109
1563	Provincia Castellana, Totetana, Austriaca, Rhenana, Germaniæ super. et inferioris	110

Annus. Pagina.

Dilingana Academia — In Conv. Oenipontano Canisius. 112
P. Canisius operam dat promulgando Concilio Tridentino. 114
Collegia Tornaci, Antverpiæ, Cameraci, Trigueri, Mantuæ, Gadibus, Marcenæ 115
Sors Collegii Parisini, et Mauriacensis 116
Romam redit P. Jac. Lainius — Legatio ad Sinas irrita. 118
Rex Omuræ, primus Regum Japoniæ, baptizatur. . . 120
Ethnicorum cum Bonziis conspiratio irrita 123
1564 P. Venustus a Sacerdote interficitur 125
Collegium Avenionense et Camberacience — Aquitaniæ Provincia — Collegium Bransbergense 126
P. Andreas Boccatius in Frisia — Collegium Rheginum, Catacense, Calaritanum, Parmense 127
Pius IV cur a Societate alienatus 128
Accusatorum malam fidem deprehendit Pontifex . . . 130
Mediolani Collegium et Domus Professa — Domus prob. Aronæ et Novellariæ 131
P. Jac. Lainius vita cedit; Ejus dotes. — Borgia creatur Vicarius — Viri insignes Lainio in Societate coævi. . 132
1565 BORGIA, Præp. Gen. tertius. — Congr. 2.ª Generalis . . 137
Missi ad Melitensem insulam, in Calabriam, in Poloniam. 139
Collegia in Polonia, et Hæresis oppugnata 140
Procella in Collegium Parisiense orta et sedata. . . . 142
Ant. Possevinus ad Carolum IX mittitur. 145
Collegium Lugdunense, et Virdunense — Res Belgicæ. 146
Lusitani PP. ab aulicis vexati — Monita a Borgia illis data. 147
In Japonia, quot Patres — Imperatoris Aula — L. Froëz. 149
1566 In Comitiis Augustanis, Canisius etc. — Olomucense et Spirense Collegium. 152
In Galliis multa bene geruntur. 155
Pontifex duos PP. in Scotiam mittit 158
Hæretici tumultus — in Belgio — Dispersa Collegia Antverpiæ et Tornaci 159
Collegium Audomaropoli — Benevolentia Pii V . . . 160
Urbi lue laboranti succurritur — et propagandæ Fidei . 161
Domus probationis in Quirinali 163

Annus.		Pagina.
	Atlantici Maris insulæ, et quædam Japonicæ excultæ . .	164
	In Floridam appellens P. Martinius mactatur a Barbaris.	171
1567	Quæstio de Votis simplicibus	173
	Romana provincia constituitur — Cessat Amerini Collegium; oritur Brixiæ, Taurini, et Herbipoli . . .	177
	Elwangæ et Elbingæ quid actum	179
	Confessio Augustiniana — Domus probationis Villaregii in Hispania	180
	Res prosperæ in Indiis. — P. Oviedus patriarcha Æthiopiæ.	181
	Primordia provinciæ Peruanæ.	183
	In regno Bungi floret religio; vexatur in Firandensi . .	185
	Mors Fr. Joannis Fernandii.	186
	Lugdunum cura P. Augerii servatum.	187
	Ejusdem labores — Primus regius concionator etc . .	189
	S. Stanislai Kostkæ admissio in Societatem et in cœlum .	190
1568	Prima procuratorum Congregatio.	192
	Quo statu res in Belgio — Collegium Duacense . . .	193
	P. Lopius a Mahometanis occisus — Ejus socii. . . .	195
	Apud Indos res prosperæ, in oppido Porca, in Cione, in Sanguina — Meaco profugi patres, et reduces . . .	197
	P. Melchior Carnerius Japoniæ et Sinæ Episcopus. . .	201
1569	In Gallia expeditiones apostolicæ; Sodalitas Misericordiæ.	202
	Sodalitas Romana B. V. Annuntiatæ	206
	Imagines B. V. ex S. Lucæ archetypo, etc.	207
	Collegium Pœnitentiariorum ad S. Petri, Romæ . . .	209
	In Monomotapa et ad Cafros Missio infausta.	210
	Granatæ, statio Albaizina destituitur — P. A. Lopii mors	211
	Collegia Malacæ, Biatiæ, Interamni, Seguræ, Huetæ, Oropezæ, Legione, Segunti	212
1570	P. Joannes Maldonatus, Pictavii	213
	P. Robertus Bellarminus Lovanii	215
	Conscientiæ Mensa, Goæ. — In Japonia, mors P. Turriani.	216
	P. Ign. Azebedius, cum sociis ab hæreticis interfecti .	219
	Angrense et Funcalense Collegium	221
1571	Victoria ad Naupactum; et ibidem opera Patrum . . .	221
	S. Fr. Borgia, jussu Pii V, iter aggreditur in Hispaniam.	223

Annus		Pagina.
	Pontificium diploma de Scholaribus etc.	224
	In Florida Socii octo a Barbaris interfecti.	225
	Brasiliam petentes intercepti aut cæsi.	227
	In Perua, Collegium Cuschense et Pacense	228
	In Indiis et apud Japones pericula — Frenoxama, mons Bonziorum vastatur.	229
	Centuriæ Magdeburgenses a Canisio refutatæ	231
	Coll. Hallæ, Fuldæ, Calatajeronæ, Camberii, Viroduni.	233
	Badensis Marchia Ecclesiæ restituta	234
	P. Possevinus Vesontione in Synodo provinciali, etc.	236
1572	Collegium Burdigalense et Nivernense	237
	Obitus S. Francisci Borgiæ. — Virtutes ejus	238
	Mexicana provincia — Collegium Mexici.	245
	In Japonia duo Regna Christo acquisita	246
	Victoriæ de Hæresi in Galliis	247
	Insignes PP. qui sub S. Fr. Borgia vixerunt	247
1573	MERCURIANUS, Præpositus Generalis quartus . . .	251
	Collegia Græcii, Brunæ, Messanæ, in Peruvia, in Brasilia	253
	P. Olmedus interfectus in Molucis.	254
1574	Bella et excursiones variæ in Japonia.	255
	Valignanus appellit in Indiam, — Coll. Marganæ et Malacæ.	259
	Angolana Missio, Brasilica, Peruana, Collegium Potosii.	260
	In Suecia, P. Varsevitius.	264
	Collegio Brugis, Trajecti ad Mosam, Antverpiæ, Heiligenstadii, Jaroslaviæ, Mussiponti, Aletii.	265
1575	Collegium Græcorum Romæ. Missio in Græcia. . . .	268
	Clades in Brasilia et in Japonia — Progressus in Mexico.	269
	Collegium Biturícense, Granatense, Numantinum — Domus prob. Taraconæ, Professa Xeræ	271
1576	Rex Arimæ fit Christianus — Meacense templum. . .	273
	Ternata deserenda — Collegium Pernambuci	275
	Parœciarum cura in Peruvia	276
1577	In Suecia P. Nicolai	278
	Collegium Lucernense	280
	Thomæi in India — Vaipicotana sedes — Regis Arimæ filius religionem perturbat	281

Annus.		Pagina.
	In Africa Oviedi Patriarchæ obitus.	283
	Veronæ Collegium — Turbæ in Polonia, et in Hispania.	284
	Collegium Compostellæ	286
1578	Ad Sueciæ regem mittitur P. Anton. Possevinus, eumque ad Romanam fidem reducit	287
	Legatio ad Maronitas	290
	P. Lelesius in Hungaria, P. Magius Viennæ, in Moravia P. Tolmainer	293
	Lanspergæ Domus Prob. — Collegium Recineti . . .	295
	Tertiæ Probationis Domus Romæ — Provinciæ Veneta et Mediolanensis	296
	In Belgio summæ rerum angustiæ.	297
	Lusitaniæ Rex Sebastianus in bello mortuus	299
	Rex Bungi, senior, baptizatur	302
1599	Transsylvania Societati aperitur — Collegium Claudiopoli.	305
	Possevinus Roma redit in Sueciam	307
	Initium Missionis anglicanæ. Anglorum Collegium Romæ.	311
	Neapoli Domus prof.	315
	Collegium Ovietæ, Pampilone etc. — Dolæ.	316
	Mogolis Imperator Patres advocat	317
	Rex Arimæ baptizatur. — Religionis status in Japonia.	319
1580	Angliam ingrediuntur Personius et Campianus — Bosgravius et Cottamus comprehensi	321
	Rex Sueciæ datam Pontifici fidem fallit	324
	Possevinus e Suecia discedit	325
	Missio ad Maronitas feliciter redintegrata — Collegium Maronitarum in Urbe	326
	E Mogole revocantur PP. — Duo a Barbaris cæsi . . .	
	Baius suos errores damnat ope P. Toleti.	329
	Collegium Friburgi Helvetiorum, Molshemii, Confluentiæ, Paterbornæ. — Parisiis Domus professa . . .	330
	Collegium Polocense, Illyricum, Drepanitanum . . .	332
	Obitus R. P. Mercuriani — Ejus virtutes — Insigniores Patres hac ætate	333

060.9
J 988
JUVENCIUS, JOS.
6914
AUTHOR
Epitome Historiae S.J. II
TITLE

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	Healy	
	Warren	
	Curran	
	STORAGE - COSA	

6914